
De Euripidis Phoenissis

Friedrich Spiro

Eduard Fraenkel



I



II



III

DE

EURIPIDIS PHOENISSIS

SCRIPSIT

FRIDERICUS SPIRO.

INEST TABULA.

BEROLINI
APUD WEIDMANNOS
MDCCCLXXXIV.

CAROLO ROBERT

UDALRICO DE WILAMOWITZ-MOELLENDORFF

PIETATIS ERGO.

1*

DE EURIPIDIS PHOENISSIS.

I.

Neminem fere omnium Graecorum poetarum in fabulis conformandis tanta et innovandi libertate et apud aequales posterosque fama usum esse quanta Euripides, multae tragoediae cum mythographorum tum artis monumentorum opibus docuerunt, in quibus Hippolytum Antiopam Andromedam Alopam Alcmenam Telephum Stheneboeam nominare satis habeo. alias tamen eiusdem tragoedias exstitisse constat complures, de quibus per totam antiquitatem nihil nisi silentium teneretur profundum, velut Epeum Licymnium Ionem Theristas. nondum vero de ea tragoedia egerunt, quae ad Labdacidarum res tractandas tanti momenti est, ut non modo apud veteres saepius sit laudata, sed etiam nostrae aetatis poetis, vel cum alienissimam materiam versarent, quam maximo usui fuerit [1]: Phoenissas dico. quam quoniam ex artis monumentis nullum, quantum adhuc vidimus, exprimit, imprimis autem picturae vasculares, ex quibus pleraque depromi solent tragoediarum ac vel satyrorum argumenta, penitus nos deficiunt, facile videri possit, quamvis a grammaticis aliisque scriptoribus crebro laudatam [2] tamen ad *μῦθον* conformandum apud homines plurimos nihil valuisse. ea igitur res quomodo se habuerit disquirere eo magis operae pretium videtur, primum quod Phoenissae sola earum fabularum, quibus Euripides res Labdacidarum tractavit, nobis servata est; deinde quod mythorum huc spectantium gravissimos continet; tum quia tragoediam prorsus in eodem argumento

[1] Imprimis de Klingeri Geminis, Leisewitzii Julio Tarentino, Schilleri Fratibus infestis cogito.

[2] Haec testimonia diligentissime congessit in commentario Valckenaërius.

versatam eamque praestantissimam Aeschyleam Septem adversus Thebas rara fortuna nobis tulit; denique quod mythi Thebani haud scio an ut aetate vetustissimi, ita maxime, si Troicos excipias, a scriptoribus tractati atque a nostra traditione confusi sint. itaque eos mythographorum commentarios, qui illud argumentum complectuntur, singulos ita perlustremus, ut videamus, num qui Phoenissarum Euripideae exemplum secuti sint, Aeschyleae tamen Septem semper ratione habita. perfacile enim fieri potuisse, ut ab hac Phoenissae profligaretur, inde intelligitur, quod et in fabula de heroum illorum sepultura idem passa est Euripidis Supplices ab Aeschyli Eleusiniis Plutarcho saltem teste vit. Thes. 29,5, et illa anno 467 primum, Phoenissae anno 410[3]) secundum praemium ab Atheniensibus reportavit. atque ita rem instituamus, ut in libris mythographicis quos tenemus examinandis ordinem temporum servemus, deperditos autem, quippe nihil certi praebentes, non suo loco, sed tum demum in censum vocemus, cum servati compilatores occassionem dederint.

---

[3]) Ut hoc potissimum anno Phoenissas doctam arbitrer, quibus causis commovear, forsitan e re erit paullo fusius indicari. notum illud scholiastae ad Aristoph. Ran. 53 testimonium: *Ἀνδρομέδαν] διὰ τί μὴ ἄλλο τι τῶν πρὸ ὀλίγου διδαχθέντων καὶ καλῶν, Ὑψιπύλης, Φοινισσῶν, Ἀντιόπης; ἡ δὲ Ἀνδρομέδα ὀγδόῳ ἔτει προεισῆλθεν* plerique ita adhibere solent ut Phoenissas Antiopam Hypsipylam annis 411—409 tribuant. at scholiasta, qui miratur Andromedam, fabulam tam longe ante Ranas — 412 — actam, ab Aristophane laudari, annum 411 in animo habere non potuit, sed eas tantum tragoedias, quae ad minimum biennio ab illo termino separatae essent. restant igitur anni 410 et 409, nisi forte Antiopam Hypsipylamque (quae ne disiungantur ipsa argumenta prohibent) cum Oresta anno 408 dare mavis. id autem Euripidis consuetudini obloqueretur, qui hac potissimum aetate fabulas similes congregare solebat: vide quam arcte Phoenissae cum Chrysippo, Chrysippus cum Oenomao, Alexander cum Palamede et Troadibus, Antiopa cum Hypsipyla, Helena cum Andromeda cohaereat. (errasse igitur Wilamowitzium opinor, qui Anal. Eurip. p. 153 Iphigeniam Tauricam anno 412 assignari posse concessit, cum praesertim actorem Euripidi Andromedam Helenamque docenti praesto fuisse ingenti voce summoque cantandi ingenio praeditum metra demonstrent, Iphigeniae Tauricae nulla *μέλη* nullam vocem). revocandae igitur Antiopa et Hypsipyla ab Oreste, potius cum Alcmena similive coniungendae. at quaeritur, utra trilogia utram aetate praecesserit. iam haec velim reputes: Phoenissis passim mentiones earum rerum iniectae sunt, quas scire non cuiuslibet est, sed eius modo, qui rebus Thebanis maximeque Amphionis eiusque familiae operam det,

1.

Ac primum quidem, priusquam de eis loquamur, quae intra ipsius fabulae fines agantur, tamquam promulsidis loco duas res quam paucissimis adstringamus, quae poeta quoque ἐν παρεκβάσει tantum commemorat: Cadmi nuptias eiusdemque in Boeotiam adventum. illas, de quibus ingentes veterum scriptiones proprium sibi requirunt commentarium a nostro alienum, uno versu 7:

ὅς παῖδα γήμας Κύπριδος Ἁρμονίαν ποτὲ

tangit affirmatque Harmoniam Veneris filiam a Cadmo in matrimonium ductam esse. hanc historiam quam ex Hesiodi theog. 937 (Ἀφροδίτη Ἄρει ἔτικτε)

Ἁρμονίην θ', ἣν Κάδμος ὑπέρθυμος θέτ' ἄκοιτιν

hausisse censendus est, sequiore aetate unice valuisse quicumque mythographus docet; tamen alias et de Harmoniae, Veneris hypostasis, natura et de Cadmi matrimonio traditiones, easque Samothracen spectantes, vel post Hesiodum floruisse testimonia

---

cf. ex. gr. v. 115, 159/60, 824. inde conligo poetam cum Phoenissas conficeret iam de Antiopa scribenda multum cogitasse, vel potius ab illa ad hanc transiisse. contrarium viam ingredi non potuit, ne ea quae in Antiopa plenissime exposuisset, iam denuo hic illic retractaret; a parvis potius ad maiora provectus est. altera ex parte addi debet, Euripidem non tam graviter contra temporum rationes peccaturum fuisse, ut v. 647 Cadmum ad Dircam mitteret, si iam Antiopam docuisset. praeterea scimus, qua de causa Phoenissas scribere animum induxerit. in Chrysippo Pelopis diras in Laium eiusque progeniem (cf. schol. Phoen. 13, 26, praecipue 66) iactatas fecerat, atque hanc rem iam, ut rectissime affirmat schol. l. 1, in scena confici iubet. pervenit igitur ad Phoenissas non ex Antiopa, sed ex trilogiae quam organicam vocant ratione: nam in Oenomao quoque exsecrationem contra Pelopem missam eandemque in Chrysippo effectam esse veri simile est. iam igitur cum Phoenissas scriberet, Euripides rebus Thebanis multam operam impendebat (cf. genealogiam initio fabulae positam et nomina portarum, de quibus infra plura dicemus), eoque facile adductus est, ut Antiopam atque, ut par est (cf. Statii Thebaida) Hypsipylam in scenam ageret. aliam, quae annum 410 commendet, causam vv. 852—857 protendere videntur, qui, huic loco minime idonei, procul dubio Atheniensium aliquam magnam victoriam tunc modo reportatam spectant, itaque optime paullo post gloriosissimam Alcibiadis pugnam Cyzicenam 410 proclamabantur, 411 Atheniensium a quadringentorum tyrannide oppressorum iram movissent. ita etiam scholiastae 854 haud iniuria mirato succurritur.

Pherecydis (ap. schol. Apoll. Rhod. Arg. II 990) et Hellanici (ibid. I 916), ut minores praeteream, evincunt. quod igitur Hesiodea ratio, a Pindaro quoque adoptata (Pyth. III, fr. 8), illas superavit, haud scio an Euripideo versui debeamus, praesertim cum prologum huius fabulae apud posteros plurimum valuisse cum alia infra explicanda tum genealogia illa ab omnibus exscripta doceat.

2.

Paullo plura verba Euripides de Cadmi adventu facit: chorus enim in primi *στασίμου* strophis[4]) (638—675) narrat Cadmum, cum vaccam secutus in Boeotiam advenisset, draconem Martis necasse, dentes terrae mandasse, Spartos inde natos statim inter se occidisse.[5]) de eisdem rebus, ac maxime quidem de pugna Cadmi contra draconem, praeter gravissimas quasdam scholiastarum notulas duae extensae narrationes servatae sunt, Ovidii et Nonni. atque scholiasta ad 670 docet

---

4) Quamquam foedas corruptelas, quibus prior huius cantici stropha deformatur, me tollere minime posse fateor, tamen metrum quale sit antistropho duce ubique cognovisse mihi videor: constat enim ex meris trochaeis quamvis per multas et *καταλήξεις* et intestinas *συγκοπάς* temperatis, dummodo unum ithyphallicum patiaris 667. hanc enim libertatem, canticis trochaicis singula cola trochaicae speciei sed nequaquam trochaici generis inserendi, Euripidem ut multas alias extrema potissimum vitae aetate sibi sumpsisse Iphigeniae Aulidensis exemplo probari posse confido. in cuius parodo cum a prima parte (stropha antistropho epodo 164—224) glyconica per clausulam dactylo-epitritam (225—230) ad trochaeos (231—302) admodum dextere transiisset poeta, iustum trochaeorum tenorem repente inexplicabili versu 256 *τοῖς δὲ Κάδμος ἦν* (– ⏑ – ⏑ –) interrumpit, cui minutissime, etiam quantum ad sententiam attinet, respondet 268 *σὺν δ' Ἄδραστος ἦν.* quem sive ithyphallicum catalecticum appellare vis sive dochmium *ἀνάκλαστον*, quem in hanc formam transire Wilamowitzius evicit („Die beiden Elektren“, Hermes XVIII): ingenue trochaicus certe non est. (prorsus enim aliter res se habet in Pindari Ol. II 6, ubi hoc colon locum obtinere omnino nego.) sed in Iph. Aul. illo exemplo certior factus non dubito etiam 235 et 246 ita legere, de quibus propter corruptelam 234 (antistrophus sana est) dubitari possit. ita Phoen. 667 ithyphallicus explicandus est, qui ipse quoque propter deae nominationem etiam ad sensum singulare aliquid affert. inde sequitur, olim *Παλλάδος φραδαῖσιν* respondisse nondum obtruncato, qui nunc est 650, *Διὸς γάμοισιν.*

5) Eandem mythi formam sequi Euripidem Bacch. 1025, 1314, aliam Herc. 252 Robertus scite monuit.

Spartorum nomen ab aliis aliter, a Stesichoro autem pariter atque ab Euripide explicatum fuisse, scilicet a dentibus σπαρτοῖς, apud Stesichorum autem ipsam Minervam dentes terrae commisisse. ergo Euripides Stesichorum secutus est, nisi quod id innovavit, ut quae apud illum Minerva, iam Cadmus Minervae consiliis incitatus faceret. ceterorum quos ad 670 laudat scholiasta scriptorum nemo cum Euripide cohaeret, nisi quod Timagoras quinque illis antiquitus traditis Spartis, quos usque ad Pherecydem persequi possumus,[6]) sextum Creontem propterea addidisse mihi videtur, ut nostrae fabulae vs. 940/1, quibus Menoeceum Creontis filium dracontei sanguinis ultimum esse, ut saepius, affirmatur, recte se habere ostenderet.[7]) praeterea idem schol. ad 662 dicit: ὁ μὲν οὖν Ἑλλάνικος λίθῳ φησὶν ἀναιρεθῆναι τὸν δράκοντα, ὁ δὲ Φερεκύδης ξίφει. hinc nihil efficitur nisi in ista re contra Pherecydis auctoritatem cum Hellanico consensisse Euripidem 662/3. ὃν ἐπὶ χέρνιβας μολὼν Κάδμος ὄλεσε μαρμάρῳ. utriusque tamen historici testimonium plenius nobis porrigit schol. Apoll. Rh. III 1179 et 1186, qui unde sumpserit, dubium non relinquit, cum ipse ad v. 1178 adscribat: περὶ—τῆς Κάδμου εἰς Θήβας παρουσίας Λυσίμαχος ἐν τῇ πρώτῃ τῶν Θηβαϊκῶν παραδόξων συνείλοχε πολλὴν τὴν ὕλην διαφωνοῦσαν; atque ex eodem doctissimo libro etiam scholiasta Phoenissarum (cf. ad v. 26) sua didicisse censendus est. inde igitur in scholia l. l. multorum scriptorum de pugna illa testimonia fluxerunt, quae ut inter se ita ab Euripideo vehementer discrepant. atque omnia nunc percensere longum est, quoniam non de mythi natura sed de mythographis, qui post Euripidem fuerunt, agitur; tamen unam rem exempli loco illustrare liceat: apud Stesichorum Minerva dentes severat, apud Euripidem Cadmus Minerva suadente[8]):

---

[6]) Aeschyli mentionem schol. Phoen. 942 merito iniectam esse mihi non persuadeo, quoniam tali nominum enumerationi in tragoedia, maximeque severiori, nullus locus unquam erat.

[7]) Eadem ratione Herculis Euripideae v. 7 et 8:

(Σπαρτοὶ Θήβας) τεκνοῦσι παίδων παισίν· ἔνθεν ἐξέφυ
Κρέων Μενοικέως παῖς, ἄναξ τῆσδε χθονός

vel Aesch. Sept. 457 Μεγαρεὺς Κρέοντος σπέρμα τοῦ σπαρτῶν γένους Timagoram eo perducere potuerunt.

[8]) cf. etiam 1062—64: Παλλάς, ἃ δράκοντος αἷμα λιθόβολον κατειργάσω, Καδμείαν μέριμναν ὁρμήσασ' ἐπ' ἔργον.

apud Pherecydem *Ἄρεως κελεύσαντος*, itemque apud Hellanicum, nisi quod ille praeter Martem Minervae mentionem fecit. Euripides, neglectis eis quae multo antea in Hercule cecinerat, Martem iam non modo loco movit, sed etiam in contrarias partes abire iussit 657 (*δράκων Ἄρεως* eqs.), ac ne tum quidem pluribus verbis dignum putavit, utpote deum, qui apud Athenienses non multo honore, nullo templo frueretur. iam videamus posteros: ipse Apollonius rem tangit III 1178—88:

Ἀονίοιο δράκοντος, ὃν Ὠγυγίῃ ἐνὶ Θήβῃ
Κάδμος, ὅτ' Εὐρώπην διζήμενος εἰσαφίκανεν,
πέφνεν Ἀρητιάδι κρήνῃ ἐπίουρον ἐόντα·
ἔνθα καὶ ἐννάσθη πομπῇ βοός, ἥν οἱ Ἀπόλλων
ὤπασε μαντοσύνῃσι προηγήτειραν ὁδοῖο.
τοὺς δὲ θεὰ Τριτωνὶς ὑπ' ἐκ γενύων ἐλάσασα
Αἰήτῃ πόρε δῶρον ὁμῶς αὐτῷ τε φονῆι.
καὶ ῥ' ὃ μὲν Ἀονίοισιν ἐνισπείρας πεδίοισιν
Κάδμος Ἀγηνορίδης γαιηγενῆ εἴσατο λαόν,
Ἄρεος ἀμώοντος ὅσοι ὑπὸ δουρὶ λίποντο.

ad fontem indagandum eis verbis ducimur, quibus deos nominat: et Minervam 1183 et Martem 1187, sed utrumque aliter atque ceteri quos schol. laudat scriptores; neutri enim in dentibus spargendis partem tribuit. praeterea nomen *Ἀρητιάς*, quod schol. Aesch. Sept. 103 revertitur, quod ostentandae doctrinae causa Apollonius posuit 1180, procul dubio ex veteri aliquo libro deprompsit, quem Pherecydis, saepius ab Alexandrinis excerpti, [9])

[9]) Unum saltem exemplum paucis exponam. Tiresiae caecitatis duo traduntur *αἴτια*: alterum quod colubras coeuntes verberavit ideoque in feminam conversus Jovi in „iocosa lite“ contra Junonem opem tulit, alterum quod Minervam nudam vidit. quarum fabularum, quamquam, utra simplicior et religione dignior, denique genuina sit, dubium esse nequit, tamen illa et apud veteres et hodie frequentissima, haec magis recondita ac paene oblivione obruta erat. illam enim apud omnes mythographos, plurimisque verbis apud Ovid. Metam. III 316 seq. enarratam, hanc perraro invenimus. utramque autem Callimachus adumbravit, alteram breviter adstringens apud Ovidium in Ibidis v. 261 (quem locum haud scio an respiciat Phlego Trallianus IV, cum incredibile sit, Callimachum adeo sibi oblocutum esse), ita ut appareat eam omnibus notam fuisse; alteram vero data opera explanavit in hymno *εἰς λουτρὰ τῆς Παλλάδος* totam enarrans, unde hauserit Propertius IV 9, 57. Callimachus autem nullos mythos ita tractat, nisi qui e vulgari consuetudine remotiores sint. iam conferas velim quae suppeditat Apoll. bibl. p. 95,21 Hercher.,

fuisse propterea crediderim, quia apud eum quoque et Minerva dentium alteram partem Aeëtae alteram Cadmo praebet et, id quod schol. 1186 vel potius Lysimachus rectissime observavit, non quinque ut apud Hellanicum Sparti eique omnes superstites nascuntur, sed infinita multitudo, quae statim propriis manibus interit. tamen cum Apollonius Martem a Minerva invito Pherecyde dissociaverit neque ullum de Spartis superstitibus verbum fecerit — apud Pherecydem enim eidem quinque restant qui Hellanico teste soli nascuntur —, inter veterem illam, sive Pherecydis sive alius fuit, et Apollonianam descriptionem necesse est tertiam intercessisse, cuius vestigia etiamnunc in Apolloniana cernantur. ea autem non tam in libris doctis quam in carmine aliquo adeo celebri, ne dicam decantato, locum tenuisse debet, ut Apollonius facere non possit quin suae narrationi multa inde immisceret. id autem carmen habemus *στάσιμον* nostrum Phoenissarum, quod et bovem praedicat *προηγήτειραν ὁδοῖο* (Ap. 1182, Phoen. 639 seq.) et Minervam a Marte longissime dissociavit neque de superstitibus Spartis hilum proloquitur, immo Ap. Rh. 1187 exactissime respondet Eur. 672/3: *σιδαρόφρων δέ νιν φόνος πάλιν ξυνῆψε γᾷ φίλᾳ.*

Reliqui scriptores quos scholl. Eur. et Ap. Rh. l. l. citant, nihil huc faciunt; sed aliter in Ps.-Apollodori bibliotheca

---

nominato Pherecyde, neque aliunde Callimachum illa petiisse contendas. eodem loco causam reperies, cur altera fabula adeo innotuerit: Hesiodi videlicet auctoritate propagata. — quoniam de hymno in Palladis lavacrum praefatus modo ad artem Callimacheam paullisper contemplandam perveni, unum eiusdem carminis versiculum interpretari liceat, qui indolem poetae nonnihil reserat. libenter ille quidem lectorum animos raris atque reconditis historiis delectabat, tamen in aetiorum frgm 442 dixit: *ἀμάρτυρον οὐδὲν ἀείδω.* eundem dicta sua saepissime ita disposuisse constat, ut sub simplicis narrationis specie ad alias res alluderent, quem in modum ex. gr. dicta puto hymn. Art. 184, epigr. VIII, 6. ita prooemium hymni illius (56) verbis *μῦθος δ' οὐκ ἐμός, ἀλλ' ἑτέρων* terminavit, quibus, praesertim cum aetiorum fragmentum modo citatum compararis, duplicem vim inesse concedes; primum enim significant: „fabula quam nunc propositurus sum quamvis vobis nova tamen minime mihi excogitata est“, alterum: „si quam rem tracto, meo quidem consilio tracto, sed semper aliunde mutuatus“. artis igitur suae normam atque principium pronuntiavit, sicut fecit in alio aetiorum fragmento, illum hymni versum tam manifesto atque exacte imitatus ut inde de chronologia coniecturam fieri posse arbitrer: dicit enim fr. 490 (cf. Dilthey. Anal. Callim. p. 5): *βροντᾶν δ' οὐκ ἐμόν, ἀλλὰ Διός.*

res se habet. de cuius fontibus quamquam egregie disputavit Robertus, tamen unam observatiunculam addere conaturus sum.

Apollodorus p. 84,26—85,18 Hercher. historiam nostram ita narrat, ut primum de bove duce similia atque Musaeus (schol. Ap. Rh. l. l.) verba faciat, deinde de dracone et Spartis, auctore nullo nominato nisi 85,11 Pherecyde. cuius mentio talis est ut facile conieceris, eius sententiam hoc uno loco reliquae narrationi tamquam variam lectionem adnotatam esse. tamen ea opinio mihi non probatur, quoniam si diligenter animum adverteris, ea quae sub Pherecydis nomine adferantur ab eis quae praecedant neque diversa esse neque ullo modo secerni posse invenies. accedit quod Robertus de Apoll. bibl. p. 67 permulta Pherecydis fragmenta in hoc libello latere vidit anonyma; itaque si quis totam hance particulam eidem vindicare velit, non habeam quod obvertam; immo nomen Ἀρητιὰς 85,5 suspicionem nostram de Apollonio modo prolatam sane probaret, nisi in Argonauticis eius excerpendis plurimum fuisse Appollodorum Robertus p. 78 evicisset. sed quoquo modo haec res se habet, Apollodorum has historias docto nescio cui mythographo debere nemo est qui neget. tamen nonnulli loci exstant, quibus Euripidis Phoenissarum vestigia aperte cernantur. apud utrumque enim prorsus consimili ratione et Mars commemoratur, ut de Cadmo bovem secuto taceam, et Cadmus dentes Minervae consilio terrae mandat et Spartorum habitus describitur. quod ut melius perspiciatur, ipsorum verba infra adscribam:

Euripides Phoen:	Apollodorus bibl.
657/8: *φόνιος ἦν δράκων Ἄρεος*	85,6: *δράκων ὂν ἐξ Ἄρεος εἶπόν τινες γεγονέναι —*
666/7: *δίας ἀμάτορος Παλλάδος φραδαῖσιν γαπετεῖς δικὼν ὀδόντας*	85,8—9: *Ἀθηνᾶς ὑποθεμένης τοὺς ὀδόντας αὐτοῦ σπείρει.*
670/2: *ἔνθεν ἐξανῆκε γᾶ πάνοπλον ὄψιν — — σιδαρόφρων δέ νιν φόνος πάλιν ξυνῆψε γᾷ φίλᾳ.*	85,9—11: *τούτων δὲ σπαρέντων ἀνέτειλαν ἐκ γῆς ἄνδρες ἔνοπλοι, οὓς ἐκάλεσαν Σπαρτούς. οὗτοι δὲ ἀπέκτειναν ἀλλήλους εἰς ἔριν ἀκούσιον ἐλθόντες.*

Apollodorus igitur, cum fontem suum satis accurate sequeretur, tamen facere non potuit quin nonnulla suo Marte illi

interponeret, quae ex cantico nostro ita edidicerat, ut hanc mythi versionem pro vulgari haberet. ipse igitur legerat Phoenissas, neque in hanc tragoediam idem quadrat quod cum de aliis multis tum de Medea summo iure statuit Robertus p. 83, argumenta ex grammaticorum tantum commentariis ei innotuisse; quid enim chori canticum, ac praecipue tale, ad argumentum tragoediae? neque ad argumentum transscribendum Apollodorus umquam Phoenissas arcessivit; duobus ubi laudat locis, 96,20 et 103,20, πάρεργα tantum illius testimonio vult exornare. haec si certa starent, concludere possemus Phoenissas Apollodori aetate omnium in manibus fuisse, utpote cuius auctoritatem invitis auctoribus suis in rebus minoribus semper curandam duceret; sed infra maiora accedent.

Iam vero tempus est ad Ovidium pergendi, qui in Metam. libro tertio harum quas nunc curamus rerum elegantem omnibusque artis rhetoricae lenociniis conditam reliquit descriptionem, 1—130. ibi cum omnia eodem fere ordine quo in cantico nostro sese excipiant, in propatulo est coniectura, Ovidium illud ipsum manibus trivisse. et profecto Hauptius cum in commentario ad primum huius libri versum historiam brevissime adumbrasset, haec adiunxit: *„die hauptzüge der alten und von vielen erzählten sage enthält auch ein chorlied in Euripides Phoenissen 641 ff.“* et totum fere carmen deinceps incudendum curavit, ut similitudo etiam clarius elucesceret. quam tamen prorsus agnoscere non possum. nam ut brevis sim de primo Cadmi in Graeciam adventu, cuius causam, Europae dico raptum Agenorisque iussum filiis datum, Ovidius multis, nullo Euripides verbo tetigit; ne de bove quidem aut Delphico oraculo parcissima chori verba suppetunt, ex quibus Romanum ἐπύλλιον fluxisse putemus. at tamen haec omnia ex commentariis in Euripidem scriptis discere poterat Ovidius; verum praeterquam quod ludibundus poeta non is erat qui multam diligentiam in tragoedias intellectu tam faciles impenderet, sequuntur graviora, et in ea quidem particula quae totius actionis summam obtinet, pugnam inter Cadmum et draconem commissa. hic Ovidius nonnulla aliter atque Euripides, novi plus habet quam quod vel rhetori addere liceat. ac primum quidem quod multos Cadmi sodales, antequam ipse cum dracone decertaret, ab isto interemptos esse refert, non de suo prompsisse potest, quoniam

prorsus idem apud Nonnum mox pluribus explicandum deprehendemus, qui neque Ovidium exscripsit neque idem quae ille ultro invenisse potest. quantumcumque igitur utriusque inventionis studio et facultati concedimus, utrumque tamen in fonte vetustiore si non plura at haec certe legisse oportet, draconem antequam cum ipso Cadmo pugnam iniret multos eius sodales interfecisse. sed res absolvitur morte draconis. supra enim quod attulimus testimonium schol. Phoen. 662, Euripidem in hac re cum Hellanico contra Pherecydem egisse nos edocuit, ut draconem non ferro sed lapide occisum faceret. intererat igitur poetae ut hanc sententiam quam certissimam proponeret, neque tres versus integros 663—5 eo impendere veritus est. prorsus aliter Ovidius processit; nam etsi ne is quidem saxo parcit, immo (59—62) multam operam eo adhibet ut eius pondus atque magnitudinem quam gravissimis verbis efferat, tamen nihil inde effici iubet; contra ferro draco occiditur 90; manus igitur retinuit Ovidius a cantico nostro exprimendo. neque tamen is qui dracone per gladium necato commotus de Pherecyde cogitaret, recte agere mihi videretur; ibi enim haec omnia accidunt, *ἐπεὶ Κάδμος κατῳκίσθη ἐν Θήβῃσιν*, apud Ovidium antea. neque vero, quae sequuntur, concinunt, et Martis in re conficienda partes apud Pherecydem admodum magnas Ovidius plane ad eandem exiguitatem restrinxit quam Euripides (Eur. 657 *δράκων Ἄρεος* = Ov. 32 „Martius anguis“, neque quidquam efficitur figura illa 120/1 posita „suo Marte“); cumque ne id quidem fortuito factum esse iudicandum sit, accedat autem ut tam Euripides quam Ovidius pugnam illam invitis *Ἀρητιάδος* patronis fieri iubeat, ita scriptores egisse censeamus, ut Ovidii auctor cum alios fontes tum Euripideum canticum in suum usum adhibuerit.

Superest ut Nonni[10]) largas copias adeamus. quas omnes ex uno cantico Euripideo originem ducere nec per se satis

[10]) Eundem ea quae de Tiresiae caecitate refert paucis verbis Dion. XX 400, pluribus V 337 seq., Callimacheo *εἰς λουτρὰ Παλλάδος* hymno debere, breviter demonstrare conaturus sum. nam omitto quod summa argumenti supra communicati eadem est; sed singula quoque concinunt: uterque enim poeta Tiresiam a Minerva occaecatum cum Acteone confert qui idem a Diana passus sit; uterque casu factum esse renuntiat (Call. 113, cf. 52, Nonn. V 304), ut Acteo Dianam nudam videret; similes

probabile est neque eo commendatur, quod a Nonno quoque ut ab Ovidio et eos, qui ante Cadmi certamen a dracone occiderentur, et hoc ipsum certamen spinosius descripta esse supra ostendimus. quaeritur tamen, num Nonnus Phoenissas omnino legerit, num in fontis principalis loco habuerit. et hoc quidem affirmare debere mihi videor. nam ut brevis sim de Marte, quem Nonnus Dion. IV 358 prorsus similem in modum atque Euripides 658, ceterum autem non commemorat nisi tota re perfecta (417 et 448, quoniam 399 ut negativus in censum non venit), Euripideo igitur exemplo non minus quam Apollonius perductus removit, gravius est quod certamen non modo non ad *Ἀρητιάδα*, quam vel Ovidius aspernatus est, sed ad Dircam potius fieri cum Euripidis v. 647 iubet IV 356 seq.:

καὶ πόδας ἐστήριξε δρακοντοβότῳ παρὰ Δίρκῃ.
στῆ δὲ ταφών, ὅτι λοξὰ φανεὶς ὀφιώδεϊ δεσμῷ
Ἄρεος αἰολόνωτος ὄφις μιτρώσατο πηγήν.

praeterea id ex Euripide sibi adscivit, quod Cadmus dentes *Παλλάδος φραδαῖσι* terrae immittit (389, 400 seq.) nisi quod epicorum more poetarum, quem apud Statium quoque deprehendemus, multis verbis usus est, ut, quae ille significasset tantum, ad iustae narrationis modum extolleret. eodem modo certaminis descriptio nata esse potest, etiam Spartorum nomen pari quo apud Euripidem veriloquio explicatur 405, cum scholiastae supra laudati multas alias rationes antiquitus extitisse tradant. denique mors draconis Nonnum ab Euripide pendere cuivis persuadebit: saxo bestia occiditur, idque saxum a Nonno, verborum eligendorum accurato existimatore, appellatur *μάρμαρον* 409 ut Phoen. 663, atque draconis ferit *κάρα* Nonn. 411, Eur. 664. quod vero deinde Nonnus saxo insuper ferrum addit, quod ex Ovidio vix petierit, aliam praeter Euripideam narrationem sibi praesto fuisse docet. neque quae sequuntur, ab Euripide aliena

---

deinde de canibus vorantibus terminos ab hominum prandiis mutuati adhibent: Call. 115 *δειπνησεῦντι*, Nonn. 331 *ἐθοινήσαντο*; omnis autem dubitatio et eo summovetur, quod uterque Acteonis fatum contemplatus Tiresiam beatum atque fortunatum clamat (Call. 117, Nonn. 337 seq.), et eo quod Autonoam matrem Acteonis ossa quaerentem communem habent (Call. 115/6, Nonn. 388 seq., 405/6). denique quod exiguum est, cf. Call. 119 *μινύρεο* cum Nonn. 336 *κινυρῇ*. ergo Aristaei quoque Acteonis patris nomen Nonnus 287 et 356 ex Call. 108 assumpsit.

sunt; cuius enim γᾶ (670 et 673) videtur effecisse, ut Spartos Nonnus appellaret Gigantes 427, 442, 453, sicut illius πάνοπλον multis verbis explicavit 432 seq.

Sed haec hactenus. satis de eis quae Phoenissarum argumentum praecedunt disputasse nobis videmur; nam quae in prologo proponuntur, cum ipsa tragoedia, a qua chorus ille longe recedit, nimis arcto vinculo congregata sunt, quam ut secerni ullo modo possint. ergo ad tragoediae argumentum iam transeamus.

II.

1.

Hanc quaestionem tractantis primum officium est statuere, quid in fabulae historia enarranda ipse Euripides innovarit, quoniam inde primum dignosci potest, quatenus posteri ab eo pendeant. haec autem quaestio plane absolvi nequit, quoniam largissimis illis copiis ante Euripidem cum ab historicis tum a poetis, inter quos epici primum obtinent locum, conditis nos destituti sumus. praeterea talis disputatio etiam de mytho ipso neque tantum de mythographis esse deberet, quae a nostro consilio alienissima est. nonnulla tamen sunt quae, cum Aeschyli Septem et Sophoclis Oedipum Antigonamque teneamus, in tragicam certe poesim ideoque in Atticam religionem inducta esse perspicere vel nobis liceat. quae in his certa mihi videntur, statim breviter enumerare mihi proposui:

1. Quod Iocasta mortem sibi adscivit et Oedipus oculis obtruncatis Thebas reliquit, non statim post huius involuntaria scelera patefacta fecerunt; uterque potius domi remansit, et Oedipus quidem a filiis inclusus, quos propterea exsecratus est (64—68).

2. Antigona cum paedagogo τειχοσκοπίαν init (prologi pars altera, 88—202).

3. Chorus Phoenissarum Delphos missus Thebis invitus moratur (πάροδος 202 seq.).

4. Iocastae voluntatem secuti eaque praesente filii pugnam commissuri intra urbem conveniunt, ut quae velint exponant atque ad pacem faciendam admoneantur (primum ἐπεισόδιον, — 635).

5. Polynices, quod Adrasti filiam in matrimonium duxit, pluribus verbis vituperatur (77, cf. 135, maxime 335—349, 424, 569, 580, 704).

6. Etocles natu maior, ut fratrem iniuste de regno expulit, ita impudenter atque superbe se gerere numquam desinit (cf. 71—76 447, 588 et passim), cum Polynicem et Antigona (163 seq.) et Iocasta (306) et poeta (passim sed cf. praecipue nuntium de caede mutua — 1453) summa caritate ac benevolentia amplectuntur.[11])

7. Inter septem, qui Thebas oppugnant, duces Adrastus est (1134).

8. Thebae oppugnatae Menoecei tantum voluntaria morte, quam Tiresias suaserat, ex periculo imminenti eripiuntur (913, 1009, 1090).

9. Iocasta cum Antigona in campum procurrit, ut filios pugnaturos prohibeat; cum sero advenerit, super eorum corpora se ipsa occidit (1273—1282, 1429—1459).

10. Oedipus a Creonte in exilium extrusus ab Antigona comitatus Athenas abit, ut secundum Apollinis oraculum in Colono Hippio diem supremum obeat.

Minora adhuc praeterii. sed eorum quae modo enumeravi multa non modo tragicam poesin sed etiam universam religionem Euripidi debere pro certo mihi constat; atque in his ea praecipue pono, quae numeris 3, 4, 7, 8, 9, 10 significavi. nam quae primo loco posui, partim certe iam in Oedipo tragoedia Euripides cecinerat.[12]) — Chorum Phoenissarum, cui

[11]) Hanc poetae erga Polynicem benevolentiam plurimos posterorum ex Euripidis Supplicibus et Phoenissis accepisse monuit atque firmavit Welckerus gr. trag. II 562.

[12]) Tamen Welckero assentiri non possum, qui gr. trag. 546 Euripidem propterea superstitem Iocastam induxisse censet, quia, cum Oedipum scriberet, iam Phoenissas spectaret. talis enim ratio tragoediis, nisi eiusdem trilogiae sunt, minime convenit; cf. quae in diversis fabulis idem Euripides de Helena declaraverit. Oedipum vero in cognomine fabula ab Laii familiaribus, in Phoenissis propria manu occaecatum fecit; inde apparet quanto ille his tempore superior sit nec ulli connexui locum esse. omnino quae Welckerus et Godofredus Hermannus de Aeschyli trilogiis Thebanis summo acumine et ingenio disputarunt, minimam partem etiam nunc stare possunt, quoniam eorum aetate ὑπόθεσις illa Aeschyleae Septem Franziana, quae Laium Oedipum Septem Sphinga trilogiam effecisse docet, e Laurentianae pluteis nondum foras evaserat.

nisi in dramate locus erat nullus, Euripides ex Phrynichi tragoedia cognomine deprompsit, cuius fr. 10 et 11 me Eur. Phoen. 202 commonefacit.[13]) — De Iocastae cum filiis conloquio nemo dubitare potest, qui computaverit, quam apta haec scaena tragoediae potissimum animisque spectatorum miseratione commovendis et omnino Euripideae indoli sit, qui quam libenter controversias elegantibus orationibus exornatas in scaenam induxerit notum est; neque video quid huic artificio magis quam tale *πρόβλημα* conveniat. — Adrastus quod ab Aeschylo, qui ceterum in ipso septem numero proclamando plurimus est, hinc secluditur, Pausanias, cuius sententiam vel hodie multi amplectuntur, contendit II 20,5, Polinicis socios a primo Aeschylo in septem numerum redactos esse. his tamen astipulari non queo. Pindarus enim non modo Nem. IX 24 Momms.: *ἑπτὰ γὰρ δαίσαντο πυραὶ νεογυίους φῶτας* septem duces commemorat, sed etiam Ol. VI 15 ita canit:

ἑπτὰ δ᾽ἔπειτα πυρᾶ (codd. *πυρᾶν*, corr. Bernhardy) *νεκρῶν τελεσθέντων Ταλαϊονίδας*
εἶπεν ἐν Θήβαισι τοιοῦτόν τι ἔπος·

ergo vel Pindarus septem principes, inter quos neque Amphiaraus neque Adrastus esset (recte enim de v. 15 antiquitus corrupto videtur mihi iudicare Aristodemus, nempe *Θηβαϊκῶν* auctor, cuius inter fragmenta hoc non receptum esse miror, ap. schol.: *ὁ δὲ Ἀριστόδημός φησι τὰς ἑπτὰ πυρὰς εἶναι τῶν στρατιωτῶν (στρατηγῶν?) τῶν ἀπολομένων*), in fonte suo invenit, quem qualis fuisset indagare dudum elaborarunt viri docti. et rectum quidem statuisse nemini nunc non videtur Asclepiades (ap. schol.), qui hanc historiam ex Thebaide cyclica sumptam esse tradit. ergo illic quoque quamvis magnae Amphiarai et Adrasti partes essent (cf. Theb. fr. 1), tamen praeter eos septem viri Argivis imperabant totidemque Thebarum portis singulis erant praefecti. — De morte Menoecei, in qua ut ita dicam cardo totius fabulae versatur, idem iudico, quia schol. 1090 huius rei testes adfert eiusmodi solum, qui post Euripidis aetatem fuerint, ac scimus scholiastam talia ex

[13]) cf. Welcker. trag. I 26. apud Phrynichum quoque a fr. 10 *πάροδος* Hesychio teste celebris incepisse videtur. de imitato Phrynichi Alcestidem Euripide vide Nauckium ad Phryn. fr. 3.

doctissimo Lysimachi opere depromere. — de eis denique quae ultima nominavi, quae cum primo momento cohaerent arctissime, ut eadem supponam, alto adducor silentio, quod de prioribus fontibus servatur ubique.[14]) ac si re vera horum aliquid iam apud vetustos illos auctores exstitisset, mirum sane esset, Aeschylum et Sophoclem et universam quinti saeculi religionem inde tam longe recessisse, Euripidem semper novarum rerum cupidum illuc redisse, cum quanta Athenis celebritate Thebais cyclica vel quarto saeculo culta sit, comici festivissimum doceat fragmentum servatum a schol. Soph. O. C. 1375. sed demonstrari quoque potest veterem poësin nihil huiusmodi cecinisse. Thebaidis enim fr. 2 et 3 prorsus aliam atque Euripides causam nobiscum communicant, cur Oedipus filios exsecratus sit; atque quae illic de eo narrantur, ea fieri non poterant nisi antequam caecus esset. — de eis denique, quae V et VI numeris notavimus, certiora sciri non possunt, nisi in his quoque Euripidem longissime ab Aeschylo aberravisse; ac maxime quidem Adrastum eiusque filiam, in cuius nuptiis commemorandis tam multus est Euripides, Aeschylus mirum in modum videtur neglexisse: nam ut taceam de Polynicis matrimonio, cuius nullum omnino vestigium apparet, ipsum Adrastum quotiens exspectamus fallimur. quamquam exercitus hostium saepius Argivus appellatur, nullus Argivorum rex apparet; Adrastum non intra septem esse supra monuimus, sed ne in catalogo quidem hostium nominatur, ut ab Aeschylo consulto remotus esse nescio qua de causa censendus sit. semel tantum in tota tragoedia nomen eius legitur, et loco quidem quam maxime singulari 50. ibi nuntius cum Eteocli sacrificium a septem hostium ducibus institutum describit, haec inserit 49—51[15]):

[14]) Falsus mihi videtur Welckerus esse, qui Aesch. tril. p. 367 Oedipum Athenas migrantem ab Aeschylo inventum esse ratur. hoc enim si verum esset, fieri non potuit ut Sophocles in Oedipo Rege talem exitum manu mitteret; immo Euripides ut utrinsque magni poetae fabulam superaret, talem finem Phoenissarum suae fecit, nimia novitatis specie per oraculi mentionem (1703) mitigata. quam tragoediam cum legisset ne Sophocles quidem abstinere potuit, quin Oedipi fortunam denuo tractaret, quod effugisset, si illum dramatis terminum invenisset, cum priorem Oedipum scriberet. cf. infra p. 46.

[15]) In Aeschylo numeros semper laudo Kirchhoffianos.

μνημεῖα θ᾽αὑτῶν τοῖς τεκοῦσιν εἰς δόμους
πρὸς ἅρμ᾽ Ἀδράστου χερσὶν ἔστεφον, δάκρυ
λείβοντες, οἶκτος δ᾽οὔτις ἦν διὰ στόμα.

iam vetus commentator his offendebatur atque, ut ἀπορίαν moneret, scripsit: τοῦτο δὲ ὡς ἀπὸ τῆς ἱστορίας ἔλαβεν, ὅτι ἐσώθη ὁ Ἄδραστος. ἐπεὶ πόθεν ᾔδεσαν ὅτι διαφεύξεται; quam autem λύσιν adiungit: ἐπεὶ Ἀμφιάραος αὐτοῖς ἐμαντεύσατο μόνον Ἄδραστον σωθήσεσθαι. τοῦτο δὲ κτέ, minimum valet; ita enim agere poetam tragoedias bene disponere solitum prorsus dedecet. non melius id se habet, quod hic subito Adrastus nominatur nulla descriptione inductus, cum Atticae tragoediae maximeque veterioris certissima lex sit, omnes de quibus agatur personas accurate describi; vel Eteocles 39 appellatur φέριστε Καδμείων ἄναξ. praeterea insulsum est, omnes duces probe confisos Amphiarao, de quo legimus nihil, occasum praedicenti ac velut Tydei semper inimicissimo (cf. 365, 554 etc.) inter medium sacrificium abire, ut μνημεῖα illa in Adrasti fuga servandi curru deposita suis mittant, praesertim cum Polynices suos intra Thebas reliquerit. denique non video, cum (52) σιδηρόφρων γὰρ θυμὸς ἀνδρείᾳ φλέγων ἔπνει, praesertim λεόντων ὡς Ἄρη δεδορκότων, simul δάκρυ λείβειν potuerint. accedit Adrasti mentio singularis nec minus singularis verbi στέφειν usus. quibus omnibus causis adductus facere non possum quin versus 49—51 interpolatori alicui quamvis veteri tribuam; ac perbene 48 a 52 excipitur. sed utut est, hic quoque Euripides, cum maxime de Polynicis matrimonio tot verba faceret, Aeschylo consulto vehementerque adversatus est, ac pragmaticis quidem rationibus commotus, scil. ut declararet, cur Argivi Polynicem adiuvissent.

Superest ut τειχοσκοπίαν quam brevissime percenseamus. quae re vera nihil continet nisi imperatorum hostilium enumerationem, qualem apud Aeschylum Eteocli dat nuntius. Euripides igitur alia ratione idem enarrans nihil videtur egisse nisi ut Aeschylo adversaretur:[16]) ergo primus erat qui hanc τειχοσκοπίαν instituit; nullus enim epicus poeta Homerum adeo compilare debuit. Euripidem autem hic ab Aeschyleo nuntio pendere[17]) iam inde consequitur, quod ne ipse quidem Adra-

[16]) v. 751/2 Aeschylum vituperari iam Didymus (ap. schol.) vidit.

[17]) Euripides cum Aeschyleae fabulae impugnandae magnam operam

stum describit pariter ac ceteros: immo *ἐν παρεκβάσει* tantum commemorat 160. atque etiam in singulis Aeschylo sese opponit: qui cum Parthenopaeum prope Amphionis sepulcrum morari nuntiasset 511, Euripides prope Zethi sepulcrum collocavit, scilicet venatricis filium ad venatoris *μνῆμα*, hic quoque pragmatice ratiocinatus. quod sepulcrum cum re vera idem esset cum illo (cf. Valcken. ad 145), tamen ad aliam portam mittit, a Borrhaea ad Neistam, 1104.[18]) cum hac enim scaena, quae id tantum effecit ut tragoedia male disponeretur, conferendus est nuntius Aeschyleo similis, quem Euripides non effugit 1090 ff., qui iam duces eorumque sortes plenius describit. hic plane Aeschylea ratione institutus est, ut suam quisque portam dux sortiretur[19]); sed in singulis Euripides ut longe differret curavit. nam praeterquam quod Adrastum Eteoclo Aeschyleo substituit, aliam cuique duci portam áttribuit excepto uno Capaneo, atque vel in nominibus portarum nonnullis dissentit, cum pro Borraea et Oncaea Crenaeam et Ogygiam po-

impenderet, vim eius multifariam expertus cernitur. velut quae per colloquium Creontis et Eteoclis pronuntiat 703, Argivorum potentiam ingentem ac Thebanis valde periculosam esse, ex Aesch. 28/9 sumpsit (quam ob rem eliminavit quae Aesch. 22/3 de fortuna belli habet, ut Thebanorum periculum quasi augeret); similiter Eteoclis iussus 448/9 ex Aesch. 30, Polynicem Thebas se deleturum esse minatum (514) ex Aesch. 46/7; cf. Eur. 571—6 cum Aesch. 563—9, Eur. 101/2 cum Aesch. 254/5.

[18]) In hoc colloquio, cuius metris iambicis et dochmiacis, saepe *ἀνακλάστοις*, nonnulla interposita sunt cola dactyloepitrita, cum 185—189 Antigona Capanei minas repetit, praedicatum, quod in fine desideramus, omittit, nempe verbi, quale est *φάναι*, aoristum, referendum ad ὅς 185. atque cum 189 iam dimetri dochmiaci explendi causa in calce verbo iambico spoliatum esse vel Kirchhoffius iudicaverit, non vereor formam modo significatam inserendam proponere.

[19]) Hanc rationem, ut septem portae singulis ducibus adoriundae et rursus defendendae traderentur, primo ab Aeschylo institutam esse, certe in Thebaide cyclica nullum locum habuisse inde assequimur quod idem Periclymenus Neptuni filius et Parthenopaeum occidebat (Paus. IX 18, 6) et Amphiaraum persequebatur (Pind. Nem. IX 26 c. schol.). itaque, atque quoniam hic locus Pindaricus cum illo Ol. VI mirifice concinit, contra Mayerum (de Eurip. mythopoia, diss. Berol. 1883, thes. 4) ex cyclica potius Thebaide versum et in Pindari carmen et in Apoll. bibl. 97, 3 transiectum esse crediderim. accedit quod Pind. l. l. 26 *δουρὶ Περικλυμένου πρὶν νῶτα τυπέντα* [*μαχετάν*] primus huius carminis est hexameter vere epicus, ut caesuram habens *πενθημιμερῆ* (nam *πρὶν* est proclitica), qualis sequitur unus tantum 36.

nit.[20]) cum portis vero signa conspirant quae principes in clipeis gerunt: vel hic Aeschyli inventionem Euripides imitatus corrigere conatur.[21])

Singulariter se habet exsecratio illa ab Oedipo in filios iacta, quam qualis in Thebaide cyclica fuerit supra notavimus. eandem et Aeschylus et Euripides saepissime commemorant, neuter tamen ita ut, quid Oedipus dixerit, ipsum repetat; coniecturis igitur opus est ut illa assequamur. apponam singula testimonia:

Aesch. 70: *Ἀρά τ' Ἐρινὺς πατρὸς ἡ μεγασθενής* nihil docet. plura schol. 557: *ἐπειδὴ ἐπηράσατο Οἰδίπους μεθ' αἵματος διανείμασθαι αὐτοὺς τὴν βασιλείαν*; sed ipse poeta adhuc nihil. at 638 *ὤμοι, πατρὸς δὴ νῦν ἀραὶ τελεσφόροι* exclamat Eteocles, ubi fratri se ipsum opponere constituit. confirmat igitur quae schol. 557 praedixerat: Oedipus a dis petiit ut filii proprio sanguine regnum sortirentur, ac vel de mutua caede eum verba fecisse probabile est. ceteri autem loci, quibus illud factum repetatur (692, 706.[22]) 717, 768, 790, 815, 1040) non minus quam illi ipsa verba ita celant, ut appareat Aeschylum haec data opera repetere nolle, quoniam omnes auditores memoria teneant. ergo eis antea proposuisse debet. ubi id fecerit, facile perspicitur: nam *Ἑπτὰ ἐπὶ Θήβας* ultimum in trilogia locum tenent.[23]) illa igitur cecinit in fabula, quae

[20]) Quod nihilo secius septimam portam Aeschylo concedit anonymam, aut propterea facit, ut septima porta anonyma septimo duci superstiti respondeat — et profecto sortitur Adrastus septimam 1134 — aut quod Thebis antiquitus sex modo portae, ut Niobae sex filii totidemque filiae erant apud Homerum (Ω 604, cf. Apoll. bibl. 90, 15) et Pherecydem (schol. Phoen. 159).

[21]) Quod ad haec attinet, unius poetae sententiam apponamus, qui quamvis ab antiquis distet tamen dignissimus videtur qui inter eos appelletur. Goethius enim, quod nemo veterum fecit, haec signa integra ab Aeschylo recepit, cum in Helena (Faust. II 4420 seq.) choro quid „wappen" sint quaerenti respondit Phorcyas.

[22]) Non recte schol. 709 egisse arbitror, qui *παιδολέτωρ* non ad *τοὺς Οἰδίποδος παῖδας* rettulerit.

[23]) Quod Welckerus trag. p. 365 unicum obvertit, Aesch. Sept. 733 Oedipi vitam describi, id propterea corruit, quia ista narratio chori est, qui non nova inducit sed nota repetit, neque cum dialogo duces exacte proponente conferri potest. cum vero de Oedipo a filiis incluso idem chorus ne verbum quidem proferat, Welckerum errare puto, cum p. 562 statuit Euripidem hoc ex epica et Aeschylea poesi hausisse.

proxima praecedebat, in Oedipo.[24]) quid ibi patrem eo perduxerit, nunc discerni nequit; id tamen certum videtur, Oedipum in ipsa tragoedia diem supremum obiisse, cum in nostra fabula nusquam ulla eius aut Iocastae ratio habeatur. sed 765 seq. docet Oedipum patefacto incesto statim se oculis privasse, exsecratum esse filios. simile igitur Aeschylus ac Sophocles in Oedipo argumentum tractavit,[25]) at ratione diversa, ut exitus probat; nam Sophocleus Oedipus tantum abest ut filiis maledicat, ut benevolentissimam eorum mentionem compluribus locis iniciat (1375, 1460); ac si Aeschylea *Οἰδίπου σκιὰ* 956 recte de Oedipo mortuo intelligitur, Sophocles hic quoque ab illo recessit, nullum tamen certamen periclitatus.

Sed iam videamus, quid Euripides de exsecratione memoriae prodiderit. loca graviora haec sunt:

67/8: (*Οἰδίπους*) *ἀρὰς ἀρᾶται παισὶν ἀνοσιωτάτας,*
θηκτῷ σιδήρῳ δῶμα διαλαχεῖν τόδε.

331—333: *ἀνάϊξε*[26]) *μὲν ξίφους ἐπ᾽ αὐτόχειρά τε σφαγάν,*
ὑπὲρ τέραμνά τ᾽ ἀγχόνας στενάζων ἀρὰς τέκνοις.

474—476: *ἐγὼ* (Polynices loquitur) *ἐκφυγεῖν χρῄζων ἀρὰς*
ἃς Οἰδίπους ἐφθέγξατ᾽ εἰς ἡμᾶς ποτε,
ἐξῆλθον ἔξω τῆσδ᾽ ἑκὼν αὐτὸς χθονός.

765: (*Οἰδίπους*, inquit Eteocles) *ἡμᾶς τ᾽ ἀραῖσιν, ἢν τύχῃ, κατακτενεῖ.*

1053: *καταβαλὼν ἀραῖσι τέκεα μέλεος.*

1354/5: *πῶς καὶ πέπρακται διπτύχων παίδων φόνος*
ἀρᾶς τ᾽ ἀγώνισμ᾽ Οἰδίπου, σήμαινέ μοι.

---

[24]) Non perspicio, unde Welckerus de Phoenissis Aeschylea tragoedia tot compertum habuerit, cum nec ipse fontes indicet nec aut frustulum aliquod aut titulum eius usquam ut indagarem mihi contigerit. illam ad restituendam quae affert, fulcro carent: nam quod Aesch. tril. p. 367 Androtionem Cererem Furiis Sophocleis substitutam ex Aeschylo petiisse opinatur, ipse p. 368 refellit, cum *Δήμητρα Ἐρινύν* exstitisse monet.

[25]) cf. Nauck. ad Aesch. Oedip. fr. 167. addi potest, unici huius fabulae fragmenti verba *σχιστῆς κελεύθου τρίοδον* fortasse spectata esse a Soph. O. R. 1398/9, 800/1, hunc praeter Sen. Oed. 278, 772 ab Eur. Phoen. 38; cf. Pisandrum Alexandrinum ap. schol. Phoen. p. 407, 16 Dind.; Paus. IX 2, 4.

[26]) Codd. *ἀνῇξε*; sed quoniam neque alias neque in hac monodia ex dochmiis iambisque composita tolerari possit tripodia iambica, nihil simplicius habeo quam ut ratione supra indicata dimetrum intus catalecticum, qualis est 334, restituam.

1610/1: (*Οἰδίπους* loquitur:) *παῖδας — — ἀπώλεσα, ἀρὰς παραλαβὼν Λαΐου καὶ παισὶ δούς.*

Ex his omnibus elucet rem apud Euripidem simillimam esse ei quam apud Aeschylum indagavimus: Oedipus luminibus demptis statim — nam nonnumquam oblivisci videtur Euripides se hoc loco Oedipum a filiis inclusum posuisse — precatus est, ut filii inter se necarent. quae hic quoque semper, quamquam non ita obscura ut apud illum, tamen ita significantur, ut omnibus iam nota esse credantur. cum vero eadem ab Euripide in praecedenti trilogiae fabula, Chrysippo, tractari nequirent, necessario ex alio carmine, eoque Aeschyleo, innotuisse putabat Euripides. ac statim adiungam simillima ratione intellegendum esse Eur. Suppl. 150.

2.

Haec habui quae praemonere vellem; iam quaestionem de Euripidis fontibus missam faciamus atque ad eos transeamus qui post illum de rebus Thebanis scripserunt.

Ac primae quidem Euripideae poesis vim demonstrabant duae comoediae **Aristophanis** et **Strattidis**, quarum utraque *Φοίνισσαι* inscripta erat, ergo vel chorum ex tragoedia cognomine susceperat. huius exprimendae causa utramque compositam esse ex fragmentis perspicitur, ita tamen, ut quod Kockius rectissime observavit, illam „non tam inriderent, quam argumento mutato in ridiculum deflecterent“; idque in Strattidem vel magis quam in Aristophanem cadere illius fr. 1 Kk. docere mihi videtur, quippe quod poetam insignem Euripidis admiratorem probet. singula tamen quae in comoediis fuerint argumenta, iam nos fugit, nisi quod ex Arist. fr. 558 unam rem ab Euripide innovatam animos vehementer commovisse discimus, quam ut minorem neque *μῦθον* ipsum immutantem adhuc omisimus, infra, cum artis monumenta occasionem praebuerint, fusius explicaturi. **fratrum enim mutuam caedem, quam Aeschylus brevissime adstrinxerat, tamquam summam fabulae extulit Euripides.** Strattis autem, ut omnino totam rem aliter tractavit (fr. 47 enim Atheniensem in Thebanorum societatem induxit), inde videtur profectus esse a colloquio illo, quod primus Euripides inter Iocastam et filios instituit, cf. Stratt. fr. 45. tamen Kockio adsentiri non pos-

sum, qui in ipso fr. 45 filios ab Iocasta appellari censet: quid enim filiis cum negotiis ita domesticis ac muliebribus? filiis potius Euripideis filias earumque lites opposuisse videtur Strattis, cuius fr. inc. 64 egregie huc quadraret. sed utut est, demonstrat utraque comoedia, quid vivi adhuc Euripidis audacia effecerit. tempus enim, quo in scenam actae sint, inde definiendum est, quod quae vellent tum modo penitus adsequi poterant, si agendis ipse adesset Euripides: qui cum anno 407 in Macedoniam se conferret, restabant comoediis anni 409 et 408.

Paullo post Sophocles Oedipi fatum denuo tragoediae mandavit. atque in Oed. Col. Phoenissarum finem repeti Welckerus trag. II 561 recte posuit, cum hic quoque Antigona patrem, Athenas profectum ut in Colono Hippio obiret, comitaretur. fabulae igitur summam ex eo petiit Sophocles quod Euripides innovavit; tamen in ceteris cum antiquioribus fecit; Oedipus enim Thebas relinquit, antequam ab Argivorum exercitu septemque ducibus oppugnentur, et tum demum filios exsecratur. quin etiam Aeschyli fabulam, ipsi ante duo fere decennia tantum non neglectam, iam ab Euripide tam vehementer impugnatam, in pristinum honorem restituere conatus est. quamquam enim ne alia quidem Euripidea, velut Polynicis matrimonium, evitavit, tamen in re satis gravi, ducum Argivorum catalogo, ita cum Aeschylo fecit, ut eius vestigia consulto pressisse iudicandus sit. nam non modo Adrastum ex septem numero summovet, sed eius loco recipit — sex enim ceteros Euripides quoque habet eosdem — Eteoclum 1316 ut Aesch. 441. ergo ex Aeschyli trilogia diras quoque Oedipi et Erinyn ac fortasse Polynicem natu maiorem accivit.

De ceteris huius argumenti tragoediis nihil constat; at in fabula prorsus dissimili, Bellerophonte aliquo vel Hippolyto, Theodectes Phaselita, omnino Euripidis imitator sollertissimus (cf. fr. 6 cum Eur. Thes. fr. 385), Phoenissarum exordium manifesto expressit fr. 10.

Sequitur ingens lacuna. nam quamvis existerent per proxima saecula[27]) multi poetae, qui immensam et ingenii et doctrinae copiam ad res Labdacidarum inlustrandas adhiberent,

[27]) Quarto saeculo historia de Menoecei immolatione vulgarissima fuit, si Plutarcho, qui Phoenissas, ut Euripidis fabulam Boeoticam, valde adamavit, fides est vit. Pelop. 21, 2.

inter quos eminent quasi principes sive auctores magnarum quae hellenisticae aetatis imperium tenebant scholarum, Pergamenae et Alexandrinae; Antimachum inquam Colophonium[28]) et Callimachum Cyrenensem, — tamen nihil eorum carminum ad nos pervenit. scio equidem et olim fuisse et nunc esse qui Statium eorum quae in Thebaide deposuit plurima Antimacho debere censeant; at demonstravit adhuc nemo, et quam obiter locutus sit schol. Stat. Theb. III 466, Welckerus vidit ep. cycl. I 103. immo per se haud probabile est Statium, qui Callimachi admiratorem non modo silv. V 3, 157 se praestitit, poetae magnam operam dedisse ab illo fr. 74b tam acriter reprehenso. praeterea Antimachum in ea Thebaidis parte, qua eandem cum Euripide materiam tractaret, eum non ut ducem primarium secutum esse cum ex tota eius indole tum ex fr. 33 Kink. concludimus, quo Thebarum portam Oncaeam commemorat (cf. fr. 25 et 26): eandem vero Euripides cum apud Aeschylum invenisset, una cum Borraea eliminavit, ut docet index portarum. et in hoc certe Statius ab Antimacho longissime recessit. at hoc quoque illinc discimus, religionem quarti et tertii a. C. saeculi hanc Euripidis innovationem libenter accepisse. nam si Antimachus et qui una cum illo laudatur Rhianus, uterque remotae doctrinae[29]) cupidissimus, portae

[28]) Antimachum quamvis temporum ratione seiunctum tamen ad Pergamenos refero non solum propter tumidam eius poesin sed praecipue propter laudem Cratetis Mallotae, Pergamenorum antistitis, Anth. Pal. XI 218.

[29]) Etiam in re metrica Antimachum talia captasse quam insulsissima illa coniectura docet, qua teste Lycophrone Homerum oneravit fr. 47 Kink. nescio igitur, qua ratione commoti viri docti epigramma Anth. Pal. IX 321 servatum ei abiudicent (cf. Bergk. Poet. lyr. gr. 114 p. 294). Antipatri certe, cui Benndorfio duce nunc multi adscribunt, esse nequaquam potest. nullus enim eorum, qui in anthologia laudantur Antipatri, seu Sidonium respicis seu Thessalonicensem seu ab horum utraque seiungere mavis eum qui cognomine caret, nullus umquam ad talia vitia delapsus est, qualibus hoc *ποιημάτιον* scatet. nam si minus eo offenderis quod unusquisque versiculus a dactylico aut trochaico verbo incipit: certe absurdissimi poetae est, incisionem per se satis bonam, scil. post tertiam versus moram, ad tres deinceps pentametros adhibere, praesertim cum ne hexametri quidem ulla caesura mascula corroborentur. iam propterea carmen sine fastidio legi nequit; sed culmen addit primus pentameter, qui cum insequenti hexametro tam arcte consociatus est, ut finis enuntiati post

Oncaeae[30]) fecit mentionem, apud aequales memoria prorsus evanuerat. hoc autem Euripidi debebat. — contra in Lydae fr. 3 Bergk: *εἶπε δὲ φωνήσας· Πόλυβε, θρεπτήρια ταῦτα*
ἵππους τοι δώσω δυσμενέων ἐλάσας
mirum in modum consentit cum Eur. Phoen. 44/5: *ὀχήματα Πολύβῳ τροφεῖ δίδωσιν.* — At unum praeterea addam, in quo Antimachus neque cum Euripide neque cum Statio consentit: teste enim schol. Aesch. Sept. 530 et, qui ampliorem materiam suppeditat, schol. Phoen. 150[31]), Antimachus Parthenopaeum non Arcada sed Argivum dixerat. hoc neque Aeschylus neque Statius fecit; Euripides vero consulto sese opposuit huic mytho, quem ab Antimacho non procreatum sed ex veterioribus copiis protractum esse inde videmus. Euripides enim Phoen. 1153 non dixisset: *ὁ δ' Ἀρκάς, οὐκ Ἀργεῖος*, quem ut Arcada confirmaret statim ad scripsit *Ἀταλάντης γόνος* scil. *οὐ Λυσιμάχης*, nisi antea fuisset (tragicus?), qui Parthenopaeum Argivum fuisse contenderet, cui nunc Euripides graviter adversaretur.[32])

---

primum hexametri pedem intercedat! tale monstrum si inferiore aetate creari potuit, frustra fuit Callimachus. — Ceterum occasione data utar ut aliud Antimachi fragmentum a recentiorum coniecturis defendam: quod a schol. Nic. ther. 472 servatum Bergkius l. l. 290 cum futilissimis causis ductus (nam quod schol. Ap. Rh. III 409 ex Lyda affert *ταύρους Ἡφαιστοτεύκτους*, illic neque *ταύρους* neque *Ἡφαιστότευκτον* aliquid video) ad Lydam revocasset, fortissima medicina usus atque intolerabili correptione Attica (*Μοσύχλου* ⏑ ⏑ –) Colophonio poetae obtrusa hanc in formam redegit:
— *Ἡφαίστου πυρὶ εἴκελον, ὅρρα τιτύσκει*
δαίμων ἀκροτάτης ἐν κορυφῇς Μοσύχλου.
codd. *ἀκροτάτης ὄρεος κορυφῇσι Μοσύχλου*, qua scriptura, nisi ut *ἀκροτάτησ'* restituatur, servata ingenuus evadit hexameter.

30) Cuius *αἴτιον* a Minerva provocatum tradit schol. Phoen. 1062, cf. Paus. IX 12, 2. e sequioris aetatis fonte haurit Nonn. Dion. V 15.

31) Idem scholion Hellanicum in hac re (ut in compluribus aliis, cf. scholl. 61. 71 et quae supra disputavimus) cum Euripide conspirasse docet; atque cum ex Wilamowitzii disputatione (Memoriae oblitteratae, Herm. XI) illum etiam exeunte quinto saeculo libros composuisse sciamus, in propatulo est coniectura, eum Phoenissarum quoque Euripideae rationem habuisse.

32) Sic solet Euripides, cum apud res exiguas gravioribus verbis utitur, quae primo aspectu supervacanea videantur, consilium certum aliquod, idque persaepe oppositionis, subiungere. quae adhuc innotuerunt exempla, uno ex nostra fabula sumpto augere temptabo: v. 12 *καλοῦσι δ' Ἰοκάστην με*, non apposuisset quae sequuntur verba *τοῦτο γὰρ πατὴρ ἔθετο*, nisi

hunc ipsum Antimachum fuisse sint qui opinentur, quoniam ab eo iam quinto saeculo vergente versus compositos esse constat. at licet compositi sint, Athenas perlati non ante medium fere quartum saeculum sunt; cf. notum illud de Heraclide Pontico testimonium Procli in Plat Tim. I p. 28. de Antimacho igitur cogitare hic non licet; talem vero fuisse poetam etiam aliunde cognoscimus. componam testimonia:

schol. Aesch. Sept. 530: *Ἀντίμαχός φησιν Ἀργεῖον αὐτόν, οὐκ Ἀρκάδα.*

schol. Eur. Phoen. 150: *Παρθενοπαῖος] ὡς μὲν Ἀντίμαχός φησι, Ταλαοῦ τοῦ Βίαντος τοῦ Ἀμυθάονος τοῦ Κρηθέως τοῦ Αἰόλου τοῦ Ἕλληνος τοῦ Διός, μητρὸς δὲ Λυσιμάχης τῆς Κερκυόνος τοῦ Ποσειδῶνος.*

Apollod. bibl. p. 26,7 Hercher: *Βίαντος δὲ καὶ Πηροῦς Ταλαός, οὗ καὶ Λυσιμάχης τῆς Ἄβαντος τοῦ Μελάμποδος Ἄδραστος Παρθενοπαῖος Πρῶναξ Μηκιστεύς κτέ.*

Pausan. IX 18, 1: *Τυδέα ὁ Μελάνιππος· οὗτος καὶ ἀδελφῶν τῶν Ἀδράστου Μηκιστέα ἀπέκτεινε.*

id. IX 18,6: *Ἀσφόδικος — ἀπέκτεινε — Παρθενοπαῖον τὸν Ταλαοῦ.*

id. II 20,5: — *οἱ τὰς Θήβας ἑλόντες, Αἰγιαλεὺς Ἀδράστου, καὶ Πρόμαχος ὁ Παρθενοπαίου τοῦ Ταλαοῦ καὶ Πολύδωρος Ἱππομέδοντος, καὶ Θέρσανδρος, καὶ οἱ Ἀμφιαράου παῖδες Ἀλκμαίων τε καὶ Ἀμφίλοχος, Διομήδης τε καὶ Σθένελος παρῆν δὲ ἔτι καὶ ἐπὶ τούτων Εὐρύαλος Μηκιστέως καὶ Πολυνείκους Ἄδραστος καὶ Τιμέας.*[33])

significare voluisset: „hoc unum verum est nomen; errant qui aut Epicastam aut Euryganiam appellant". in quibus praeter epicos poetas Aeschylus propter Septem et fragmenta, in quibus Oedipi coniugis nomen nusquam occurit, certe potest fuisse. cf. schol. ad hunc l., qui laudat Suppl. 890/1, ubi Euripides ambas versiones unire voluerat.

[33]) Pausanias igitur praeter Adrastum septem duces videtur numerare, ut Aeschylus, quem modo laudavit, nisi quod eius Eteoclo Mecisteum substituit. sed vide quomodo narrationem instituerit. si enim ipse scripsit quae tradita sunt — nec potest de interpolatore cogitari — aut diversos auctores compilavit aut fonti praecipuo, qui utrum *αὐτοψία* an alia *περιήγησις* fuerit non diiudico, propria nonnulla quae forte mente tenebat immiscuit. quonam enim modo aliter fieri potuerit, ut Polynicis filios modo Thersandrum modo Adrastum et Timeam nominaret? cur Diomedis et Stheneli patres silentio premit? an quia satis noti erant? at non notiores credo quam Adrastus et Amphiaraus. cur denique Euryalum

schol. Soph. Oed. Col. 1320: *Ἔνιοι οὐ τὸν Ἀταλάντης φασὶ Παρθενοπαῖον στρατεῦσαι, ἀλλὰ τὸν Ταλαοῦ, — καθάπερ Ἀρίσταρχος ὁ Τεγεάτης καὶ Φιλοκλῆς ἱστοροῦσι, συγγραφέων δὲ Ἑκαταῖος ὁ Μιλήσιος.*

Videmus igitur, quamquam veteris illius genealogiae singulae partes a posteris interdum varientur, tamen haec stare:

1) Parthenopaeum Argivum cum Mecisteo expeditionis contra Thèbas susceptae participe antiquitus arcte cohaerere;

2) hanc versionem tam ab Aeschylo[34]) quam ab Euripide respui;

3) eandem vetustissimam fuisse[35]), quippe quae omnes excepto Polynice septem duces appellaret Argivos, ideoque missum faceret Tydea Aetolum: [36])

4) eandem locum tenuisse apud Hecataeum Milesium et, procul dubio hunc secutos, Philoclem et Aristarchum tragicos, denique Antimachum.

Iam apparet contra quem Euripides pugnet: Philocles eum aetate praecessit, utpote quem iam anno 422 Aristoph. Vesp. 462 irrisisset, Aristarchus aequalis, teste Suida s. v., primus admodum longas tragoedias condidit; cumque Phoenissae una omnium de quibus quid sciamus longissima sit, Aristarchi quoque fabulas sequebatur aetate, verbis aggressa est. — Quod vero ad Antimachum attinet, videmus quam frustra Dindorfius conetur ad schol. Phoen. 126 eius nomen Aristarcho substituere, quod ibi cum Hippomedontis maiores enumerentur, in quibus

---

Mecistei et Adrastum Timeamque Polynicis filios a ceteris separavit verbis *παρῆν δὲ ἔτι καὶ ἐπὶ τούτων*? nimirum in fonte illo principali octo epigonos, scil. septem praeter Adrasti filium, invenit, inter quos erat Euryalus et Adrastus Timeasque; sed Thersandrum et Diomedem et Sthenelum, quos ex vulgaribus fabulae narrationibus atque compendiis noverat (cf. X 10, 4), manu propria interposuit; cumque numerus octo heroum ita esset completus, rariores illos Mecistei et Polynicis filios paullo removit. — tenendum autem est, in fonte illo principali et Parthenopaeo Argivo et Mecisteo partes fuisse.

[34]) Diversas igitur fabellas contraxit is quem excerpsit Apldr. 94, 10, cum scripsit *τινὲς δὲ συγκαταλέγουσι τοῖς ἑπτὰ Ἐτέοκλον Ἴφιος καὶ Μηκιστέα.*.

[35]) Mecistei Adrasti fratris meminit iam Herodotus V 67.

[36]) De Alitherse pariter ac de Asphodico Parthenopaei interfectore tacere malo, quoniam uterque unius auctoritate Pausaniae nititur, dummodo Asphodicus ne idem sit, qui Amphidicus (Apldr. 96, 19)

pater eius Talai frater appellatur,[37]) genealogiae illius pars repetitur. sed ex testimoniis quae supra composui eandem genealogiam ab Antimacho non productam sed, quomodo Aristarchus quoque et Philocles egit, ex Hecataeo sumptam esse concludimus, — nisi forte aut Antimachi aut Aristarchi nomen duobus locis nullo vinculo inter se coartatis propulsare mavis. et nunc fortasse e re erit adiungere, in hoc quoque momento Statium longissime recessisse ab Antimacho: Mecisteo enim non maiores partes tribuit quam portae Oncaeae aut Argivo Parthenopaeo — aut Eteoclo.

Haec de Antimacho protulisse satis habeo. multo vel peius in Callimacho cadit, de quo unum habemus testimonium idque admodum dubiae naturae. sunt versus apud Ovidium trist. V 5, 33 = Schneider, Callim. II fr. 464:

— commune sacrum cum fiat in ara
fratribus, alterna qui periere manu,
ipsa sibi discors, tamquam mandetur ab illis,
scinditur in partes atra favilla duas.
Hoc, memini, fieri quondam non posse loquebar,
et me Battiades iudice falsus erat.

Ad hunc locum Wilamowitzius, qui totas has suas disputationes summa liberalitate mihi permisit, iam pridem revocavit Hygini fab. 68, 71, 72, ubi de Polynicis corpore ab Antigona et Argia in Eteoclis rogum clam immisso flammaque scissa fiunt verba, atque coniecit, istam narrationem, quam plenioribus verbis exhibet Stat. Theb. XII, ad Callimachi *αἴτια* redire. at Robertus, cuius sententiam hoc loco quam brevissime, ne ultra fines disputatiunculae nostrae circumscriptos vager, exponere liceat, illud, de quo quaestio est, Euripidi tribuit, et Antigonae prologo quidem[38]), profectus a Mayeri dissertationis supra laudatae p. 73—77, ubi Antigonae argumentum cum

[37]) Quod antea legimus *Ἱππομέδων] ὃς ἦν Ταλαοῦ υἱὸς Ἀδράστου δὲ ἀδελφός*, nihil curamus, quoniam solus cod. Guelferbytanus servavit, cuius librarius exscripsit aut suspecta verba Apldr. 94, 6: (*Ἱππομέδων Ἀριστομάχου*), *οἳ δὲ λέγουσι Ταλαοῦ*, aut Soph. O. C. 1317. cf. Paus. X 10, 3: *Ἱππομέδων ἀδελφῆς (ἀδελφοῦ?) Ἀδράστου παῖς.* — Hyg. fab. 70.

[38]) Eandem sententiam a Welckero gr. trag. II 569 prolatam esse video, sed ne minima quidem causa addita, nisi quod sibi ipse obvertit, in Supplicibus nihil eius modi esse.

Hyg. fab. 72 paene congruere evictum est. doleo quod viri summi iudicium amplecti non possum; sed praeterquam quod tale aliquod de Euripide nemo testatur — et cur Ovidius Euripidem reticuerit? —, prologum non eum locum duco, ubi nova proferantur, sed ubi nota comprehendantur quasi fundamenta tragoediae successurae; deinde, ut ipse Mayrus p. 77 addit, teste Aristophane Byzantio Antigona Euripidea non ab Argia sed ab Haemone „in pio facinore" adiuta est, ergo prologo Antigonae cum Hygino nulla familiaritas; denique Callimachus, quem de re egisse Ovidius diserte tradit (cf. et Ib. 35[39]), vix excerpserit carmen tam vulgare quam Antigonam fuisse vascula picta docent. — sed etiam Wilamowitzius a priore coniectura nunc recessit, atque Ovidium, ut Paus. IX 18, 3, Anth. Pal. VII 396 et 399, Hyg. fab. 68, non de sepultura, sed non nisi de annuis inferiis loqui, ergo non *αἴτιον*, sed *θαυμάσιον* referre censet; Statium igitur, itemque Paus. IX 25 et Philostratum imag. II 29 eo carmine uti, quod illinc profectum de sepultura egisset atque *αἴτιον* addidisset. sed, si quid sentio, et Hyginus[40]) et Anthologiae poetae intelligi possunt ita, ut de re semel facta loquantur; et ab aetio potius ad *θαυμάσιον* quam contraria via progrediatur, neque omnino alterum ab altero apte secerni possit. immo iam propterea, quod alterum ab altero pendet, facere non possum, quin illum poetam, cuius carmen Ovidio Hygino

[39]) „— *Prius* (quam mihi tecum gratia) — —
et nova fraterno veniet concordia fumo,
quem vetus accensa separat ira pyra."

possis hunc locum Ovidio abiudicare, quippe qui totum de Ibide carmen a Callimacho mutuatus sit. sed aliter statuendem est. quamquam enim nolo cum Schneidero facere, qui Callim. II 274 exiguam modo Ovidiani carminis partem Callimacho tribuit, tamen nolo in contrariam peccare partem. ei autem de quo agitur versui cum Callimacho nullam intercedere familiaritatem iam inde perspicitur, quod cum ceteris quibus circumdatur efficit decantatum illum tam Ovidio quam ceteris Augusteae aetatis poetis *τόπον ἀδυνάτου*, qui, ut omnis locus communis, a Cyrenaeo poeta quam maxime alienus est. sed ex Ov. Ib. 55:

nunc quo Battiades inimicum devovet Ibin,
hoc ego devoveo teque tuosque modo,

ultro apparet ea quae hucusque praecedant non magis Callimachea esse quam quae postea ex Romanorum et historia et poesi citantur.

[40]) cf. imprimis verba: „his cum Thebis parentaretur, etsi ventus vehemens esset.

Bianori Antiphilo Statio Senecae[41]) Philostrato Pausaniae usui fuerit, eundem esse iudicem, qui illud *θαυμάσιον* vel potius *αἴτιον* condiderit[42]), neque mihi persuadere possum Ovidium, qui nullis umquam nisi rhetoricis aut poeticis studiis serio deditus, neque Callimachi erat nimius admirator[43]), libro tam docto quam Callimachi *Θαυμασίοις* graviorem operam impendisse.

Tam diu in his versatus sum, et quod a summis illis viris opinio mea differt, et quod ad posteros iudicandos permagni esset scire, quomodo Battiades res nostras tractaverit, quoniam omnino eum tractasse Schneiderus p. 66 probabile reddidit[44]). Euripidi vero nihil inde lucramur, quoniam causa extra Phoenissarum fines sita est, nisi id notare vis, in fratrum mutua caede hic quoque cardinem totius historiae versari. neque fr. 226 certi quidquam continet. videamus autem, num servata Callimachi opera plus nobis suppeditent quam deperdita. in eis unus, quantum video, locus exstat, quem haud scio an adire debeamus, isque iterum in hymno *εἰς λουτρὰ τῆς Παλλάδος*. supra enim constituimus. Euripidem id in poesin induxisse, quod Thebae auctore Tiresia nulla alia ratione servarentur quam Menoecei morte voluntaria. et plausum quidem tulit plurimorum, quorum nonnulli infra nobis erunt nominandi; paullo tamen post aliquis Euripideam sententiam ita immutasse debet, ut non a Tiresia, sed ab sacerdotibus Delphicis illud oraculum ederetur. iam respice verba Call. l. l. 125/6, ubi Minerva de Tiresia adhuc iuvene loquitur:

πολλὰ δὲ Βοιωτοῖσι θεοπρόπα, πολλὰ δὲ Κάδμῳ
χρησεῖ, καὶ μεγάλοις ὕστερα Λαβδακίδαις.

---

[41]) cf. quae de Senecae Oedipo infra disputaturi sumus.

[42]) Ex Hesiodo, quem quantopere in deliciis habuerit Callimachus et tacite saepius et palam professus est epigr. 27, fortasse Argiam sumpsit, cf. schol. Il. Ψ 679.

[43]) cf. iniustum illud iudicium amor. I 15, 14: *„quamvis ingenio non valet, arte valet."*

[44]) Quamquam in fragmentis huc revocandis nimius fuisse mihi videtur Schneiderus, tamen extra dubitationem positum esse puto fr. 207: *τὴν μὲν ὅ γ' ἐσπέρμηνεν Ἐρινύι Τιλφωσαίῃ*, dictum de Arione Adrasti equo (cf. Apldr. 97, 7—9, Paus. VIII 25, 8). vides quantopere hic quoque Callimachus pugnaverit contra Antimachum. ceterum siquidem statim post Nemeos Isthmiis ludis locum concessit Callimachus in Aetiis, ultro perspicitur, unde ad Ino et Melicertem tam crebro in Thebaide commemorandos Statius adductus sit. cf et Sen. Phoen. 23—26, Apldr. 86. 19—21.

multa igitur cum Boeotis, multa Cadmo praedicturum esse, et postea magnis Labdacidis. Callimachi nullum verbum neglegendum est. Labdacidae vero nulli sunt nisi Laius Oedipus Eteocles Polynices; nam de Thersandro eiusque progenie tacere licet, quae cum Tiresia numquam convenerit; is enim statim post Epigonorum expeditionem obiit, neque quae hoc bello Thebanis vaticinabatur ad Labdacidas pervenerunt, quorum unicus Thersander apud hostes esset. Laius autem unum grave oraculum accepit, quod nos etiam tenemus, quod Delphis venisse nemo umquam negavit. neque profecto Laius is erat qui *μεγάλοις Λαβδακίδαις* iuste adnumeraretur: de Oedipo igitur eiusque filiis cogitandum est. hi autem quae accipiunt oracula, eorum unum omnium gravissimum est illud, quod de Thebis servandis agit, Menoeceumque ultro immolandum commendat. idque eo magis ad Labdacidas pervenit, si ipse Oedipus intra Thebarum muros oppugnatarum versatur. Callimachus igitur, qui isto loco non nova sed nota profert, ad aequalium suorum religionem appellat, quam inde cognoscimus: credebatur illa aetate Oedipus Thebis dum oppugnentur morari, urbs Menoecei morte servata esse, Tiresias haec cecinisse. quae omnia ut abhorrent ab Aeschylea Septem,[45]) ita Phoenissis Euripidis debentur.

Multo exiliora de Callimachi aequali Lycophrone Chalcidensi dici possunt, qui in Alexandra semel atque in transcursu quidem nostras res tetigit; cum enim 424 seq. de tribus vatibus Calchante Idomeneo Sthenelo verba facit,[46]) hunc Capanei

[45]) Quoniam huius fabulae, quantum possem, rationem me habiturum esse supra promisi, aliam causam subiungam cur tertio a. C. saeculo eam multorum in animis fuisse negem. Callimachus enim singularia captandi non modo in rebus sed etiam in vocibus quam fuerit cupidus et inter omnes constat et quilibet versiculus patefacit. ita pulcherrima quidem sed eadem rarissima voce *φρυάσσομαι* usus est in nostri hymni v. 2 (unde fluxit in Anth. Pal. V 202). in Aesch. Sept. autem bis legimus (227, 458) *ἱππικῶν φρυαγμάτων*; inde colligendum duco, fabulam illo tempore non ita celebrem fuisse, nisi eo progredi vis, ut ex ipsa vocem ad Callimachum transgressam coniicias. cf. quas Schneiderus II 47/8 composuit voces Aeschylo et Callimacho communes.

[46]) Causas non perspicio, quibus adductus Eduardus Scheer in luculento quem editioni Alexandrae suffixit indice vocem *καύηξ* 425 a primo Lycophrone adhibitam esse censuerit, cum eandem non solum Callimacho sed etiam Antimacho usui fuisse schol. Ap. Rh. 1008 testetur.

filium 434 appellat, quem olim Thebarum muros delere conatum Jovis fulmen profligarit:

437 *ἦμος ξυναίμους πατρὸς αἱ Νυκτὸς κόραι*
πρὸς αὐτοφόντην στρῆνον ὥπλισαν μόρον.

ex iis Euripidi non multa nos lucraturos esse scimus, quoniam Lycophro semper quam maximae obscuritati operam dabat. eam autem, si popularem aliquem simplicemque *μῦθον* attingebat, cum in re assequi non posset, in singulis nominibus assecutus est. quod in nostrum quoque locum cadit, si quidem fabula de Capanei in Thebas impetu fratrumque mutua caede quam notissima erat; quaeritur tantum, qualem versionem secutus sit. hoc ut diiudicare temptemus, 437 nos iuvat, quem dubia ratione interpretari possis, *πατρὸς* aut ad *αἱ κόραι* aut ad *ξυναίμους* relata, quod ut ambiguum esset, poeta sane voluit. si id facis quod primo aspectu ultro sese offert atque ut scholiastae comprehendis *πατρὸς αἱ Νυκτὸς κόραι*, intellegendae sunt Oedipi dirae contra filios missae vel, ut paraphrasta se exprimit, *αἱ Μοῖραι ἢ Ἐρινύες*, alienae illae quidem ab Euripide qui semper simplices *ἀρὰς* eis substituit, sed pervetustae, quippe quibus eximium locum adsignaverit et Aechylus (cf. quae supra de Oedipo filios exsecrato composui) et vel superioris aetatis artifex qui Cypseli cistam exsculpsit (Paus. V 19, 6);[47]) atque mirifice accidit, ut talem scenam, qua fratres a Furiis incitentur, nos adhuc compluribus Etruscorum monumentis conspicemur,[48]) et sarcophago musei Gregoriani, qui publici iuris factus est in Museo Gregoriano I 96, 3, et cimicum multitudine, quales edidit nonnullos Connestabile, Mon. di Perugia 46 et Inghirami, Mon. Etr. I II 91 seq. simul autem memineris *κόρας* etiam „ocellos“ significare,[49]) ergo *πατρὸς τὰς Νυκτὸς κόρας* Oedipi caecitatem. de Aeschylo

---

[47]) Aeschyli Septem et cista Cypseli etiam id commune habent, quod Polynices ut iniustus describitur; sed id omnibus ante Euripidem commune videtur.

[48]) Etrusca ars non secus ac Romana et sequioris aetatis Graeca vim experta est monumenti cuiusdam Graeci veterioris, fratres inter se trucidantes Euripidea ratione exhibentis, cuius cetera ectypa infra appellabo nonnulla. cf. tabulae nostrae fig. 3.

[49]) Vide quam prope inter se distent v. Eur. 57 et 62, qui ambas vocis *κόρα* significationes deinceps exhibent.

igitur haud scio an possimus cogitare;[50]) tamen mihi iam propter grammaticam rationem *πατρὸς*, ut ante articulum posita, rectius ad *ξυναίμους* trahenda videtur: tum *αἱ Νυκτὸς κόραι* suam vim retinent, nisi quod Oedipi nomine omisso magis *αἰνιγματώδεις* sunt, *ξυναίμους πατρὸς* vero de Eteocle et Polynice, patris fratribus, egregie dictum est atque prorsus in morem tragicorum.[51]) nihil tamen, ut in Lycophrone par est, videmus Euripidei, nisi forte haec conveniunt: Phoen. 1155 de Parthenopaeo dicitur *βοᾷ πῦρ καὶ δίκελλαν ὡς κατασκάψων πόλιν*, cuius versus simillimus est Lyc. 434 *στερρᾷ δικέλλῃ βουσκαφήσαντος (γόνον)*; itaque si Phoenissae tunc omnibus nota erat, Lycophro aequales eo illusit, quod Euripidis verba de Parthenopaeo dicta ad Capaneum tacite transtulit. cf. et Soph. O. C. 1318.

Alexandrinae deinde aetati adnumerandus est Sosiphanes tragicus, una cum Nicostrato, qui ut grammaticus de Thebanorum antiquitatibus praeclare eruditus huc in censum non venit, laudatus a schol. Phoen. 1010: *Σωσιφάνης δὲ ὁ τραγικὸς ὑπὸ τοῦ Λαΐου φησὶ τεθνηκέναι τὸν Μενοικέα, (Νικόστρατος δὲ ὑπὸ τῆς Σφιγγός)*. differt igitur ab Euripide, sed quod novum profert, ad mortem Menoecei spectans, argumentum potissimum nobis est, hanc fabulam ab Euripide in tragicam poesin inductam illa aetate vulgo creditam fuisse.

Similia de Aristodemo quamquam aetate minore dici possunt, qui et antiquorum velut Pherecydis libris et propriis quae Thebis susceperat studiis (unde semel *Θηβαῖος* nominatur) usus *Θηβαϊκὰ* scripsit, quorum fragmenta et in aliorum scripta grammatica et — per Lysimachum, ut opinor[52])

---

[50]) Fontes Lycophronis in ipsa Boeotia ortos videtur indicare 1465 *Φίκειον ὄρος* (cf. Hes. scut. 33), quam Sphingis sedem primus commemorat, postea praeter Steph. Byz. s. v. etiam Lysimachus fr. 5, Apldr. 91, 30, quo ex scholiis Euripideis penetrasse censet Ed. Schwartz „De scholiis Homericis" apud Fleckeisenum suppl. VI p. 451. — Ceterum quoniam de Lycophrone agitur, unam notulam addere liceat: cum 1446—50 ad Herculem Alexandri Magni filium spectare evicerit Wilamowitzius („de Lycophronis Alexandra" progr. Gryph. 1883, p 9), consulto poetam ita lusisse arbitror, ut totius mundi historiam ab Hercule ad Herculem usque perlustraret.

[51]) cf. Sen. Oed. 640, Phoen. 135, Soph. O. R. 1404 seq.

[52]) Quae enim de Niobidarum sepulcris afferuntur ad 159 ex Aristodemo, non modo egregie conveniunt Paradoxis Thebanis, sed locum etiam

— in scholia Euripidea et, si recte supra disputavi, Pindarica pervenerunt. ad Phoenissas, neque apud alias fabulas recurrit, tum praecipue citatur, si Euripidem erroris inculpat[53]); apparet igitur eum in doctissimo illo libro tragoediae nostrae propterea tantam rationem habuisse, quod vulgari religioni complures falsas de Thebis sententias intrusisset. cf. chol. 159; 1113 de Amphione et Zetho ad Ogygiam portam sepultis, quod huc trahendum est, cum Zethi sepulcrum ad portas Neïstas misisset Eur. 135 (cf. supra); 1156, ubi Thebaïdem cyclicam sequi videtur.[54])

Iam ad primum a. C. saeculum transire oportet, quoniam eorum qui intercedunt scriptorum nimis exilia fragmenta servata sunt, quam ex quibus ad Euripidem quidquam redundare possit.[55]) sequioris autem aetatis grammaticorum aptus qui hic

---

tenent in testium congerie, et Lysimachus *πολλὴν συνείλοχε τὴν ὕλην*; quod in nostrum locum eo melius quadraret, quod scriptorum hic laudatorum nonnulli etiam in aliis Lysimachi fragmentis recurrunt. — ita per Lysimachum et Mnaseam Patrensem (cf. Lysim. fr. 16) et Socratem Argivum (fr. 12, cf. Lysim. fr. 5), hominem Euphorione Chalcidensi iuniorem (fr. 10), in scholia pervenisse arbitror, cuius enarratio ap. schol. Phoen. 45 mirifice conspirat cum epica Oedipodia, dummodo schol Phoen. 1760 (p. 409 Dind.) verba *καὶ φασίν*, quod necessarium duco, coniungas cum eis, quae praecedunt, *οἱ τὴν Οἰδιποδίαν γράψαντες* (codd. *γράφοντες*).

53) Occasionem dant nomina portarum, ut de his plura, quam quae Aristodemi nomine signentur, ad eum redire censenda videantur, praesertim quae ad 1129 de Electra porta, ad 1109 de Proetide, ad 1104 de Neista, duce Pherecyde, accurate disputantur. cuius parum rationis habuisse videtur Ungerus, paradox. Theban. 253 seq.

54) *πρὸς ταῖς Κρηναίαις πύλαις φησὶ τὸν Παρθενοπαῖον ὑπὸ τοῦ Περικλυμένου λιθοβοληθῆναι Ἀριστόδημος.* gravissimum est *Κρηναίαις*, quod Euripidi obvertit, a quo Parthenopaeus contra Neistas portas missus erat. cum vero in altera re gravissima cum Euripide consentiat, a Periclymeno occidi Parthenopaeum, correxisse eum debet ex narratione multo veteriori, quae hoc ipsum factum continebat. et continebat Thebais cyclica teste Paus. IX 18, 6.

55) Secundo a. C. saeculo Attius in Phoenissis Euripidis exemplar secutus est; cf. Ribbeck. trag. rom. rell. p. 180, 339. admodum vero precariam duco Grotii coniecturam de fr. III—VI, quos ad Oedipum filiis regnum tradentem refert: III non de Oedipo dictum esse debet, IV nihil certi continet, V et VI summo iure, ut opinor, ad rixam filiorum coram Iocasta actam trahuntur, cui recte adscripserunt VII et VIII, nisi quod ignoro, cur trochaicis tetrametris studeat adaptare Ribbeckius versiculos, quorum alter iustus est trimeter iambicus, alter eiusdem fines non excedit —

ponatur mihi videtur vetus Aeschyli commentator, quamquam tempus, quo scripserit, certis finibus non circumscribam. is ad v. 728, ubi chorus Oedipi fata breviter adumbrat atque ita, ut ab Euripide dissentiat, haec adnotat: *ὅταν, φησὶν, ὁ Ἀπόλλων τρὶς εἴπῃ τῷ Λαΐῳ „μὴ σπεῖρε τέκνων ἄλοκα, ἐπεὶ κτενεῖ σ᾽ὁ φύς". αὐτὸς δὲ παρωσάμενος τὰς τοῦ θεοῦ ἐντολὰς, ὑπὸ τῶν ἡδονῶν αὐτοῦ καταχρατηθεὶς συνῆλθε τῇ Ἰοκάστῃ.* ultima quoque ex prologo Phoenissarum sunt petita; itaque vel ad Aeschyli verba explicanda Euripides arcessitur, cuius tamen fabulam hac de causa non evolutam aut exscriptam esse a scholiasta versus demonstrat, quem mutuatur, qui ex duobus Euripideis concusus est. optimum igitur habemus documentum Phoenissarum illo tempore non modo lectarum, sed etiam vulgari religioni dominatarum. sed ad eos transeamus, qui primo a. C. saeculo firmo iudicio attribuendi sunt.

Ac primum quidem quasi excursus loco narratiunculam quandam perlustremus, quae a proposito paullisper nos amovere videri possit. Parthenius enim Nicaenus in aureo *περὶ ἐρωτικῶν παθημάτων* libello nostras res ipsas quidem non tangit, sed, ut ita dicam, parallelas.[56]) cap. 19 enim aliud par nobile fratrum nobis proponit, quod ut Thebanum mutua caede periit. ac dolendum est hoc omnium brevissimum caput, quod Andrisci Naxiacis deberi scholiasta coniecit, etiam peius quam reliquus libellus librariorum culpa tractatum est; quin etiam

---

His quod subiunctum est Thebaidis Attii fragmentum, non satis possum mirari, cur inde a Welckero de Menoecei morte intelligatur; nullum inest signum, neque video quomodo Monoecei comites ad Dircam fontem pervenire potuerint, teste Eur. 102, 730 ab hostibus occupatam. versus qualibet occasione proferri poterant, neque adeo probabile est Attium bis in eadem materia tractanda eundem Euripidem exscripsisse, qui Menoecei mortem induxit.

[56]) Tales mythos parallelos in Graecis litteris inveniri permultos dudum constat; cf. quae addiderunt Robertus (Bild und Lied, p. 196) et nuper Ernestus Maassius (Analecta Eratosthenica p. 136). quibus unum exemplum iterum a Parthenio suppeditatum subiungam: quae enim cap. VI ex Theagene vel Hegesippo, si scholiastae fides est, de Pallena enarrat, ea ut omnino centonis ex compluribus fabellis, inter quas Alcmenam et Iphigeniam nomino, consuti imaginem referunt, ita, quod summam rei attineat, mirum in modum cum eis conspirant, quae vulgo aut certe a Sophocle de Hippodamia Oenomai filia credebantur.

epitomatoris manum saevisse non vereor ponere, quod hic singulis explicare non locus est. itaque nomina quoque initio posita corrupta esse iudico, quae ut emendentur viam fortasse ostendit qui solus eandem fabulam pluribus exponit Diodorus V 50. et hunc quidem rectissime citavit Hercherus ad Passowii coniecturam (*οἰκήτορες Θρᾴκης* pro *κήτορος οἱ Θρᾴκης*) refellendam; neque tamen eadem de causa stare potest, quod Heynius posuit *οἱ Κήτορος*. immo ex claris Diodori verbis id mihi persuasi, et in *κήτορος* nomen *Ἑκήτορος* latere, et eos qui antea commemorentur viros, seu *Σκέλλις καὶ Κασσαμενὸς* seu *Σικελὸς καὶ Ἀγασσάμενος* appellentur, Thraces fuisse, igitur *οἱ Θρᾴκης* mutandum esse, si mutatio est, in *οἱ Θρᾷκες*. ultra non ausim procedere, quoniam nimis multae viae patent et propter reliqua quoque nomina diversa — Parthenii Iphimede et Pancrato apud Diodorum *Ἰφιμέδεια* et *Παγκράτις* audiunt — utrumque eandem rem ex eodem libro deprompsisse credere non possim.[57]) summam adhuc probabilitatis speciem ei coniecturae tribuo, qua Cassamenus nomen aut ex pleniore necdum adeo mutilato Parthenii capite aut ex simili narratione, qualem habemus Diodoream, falso loco intrusa est. adde quod Diodorus, cum pergit Naxiaca referre, Oti et Ephialtis fratrum mutuam caedem nobiscum communicat, ne eam quidem omnium testium auctoritate innixam, at vetustiorum sane quam illa Thracum, cuius auctor et ad Aloadas et ad Labdacidas respicere potuit.

Sed ad hos iam redeamus atque habemus scriptorem Parthenio aetate non multo minorem Cononem, qui in cap. 37 de Cadmo Thebarumque primordiis[58]) unice vera se prolaturum esse pollicetur; cf. quae in fine leguntur: *περὶ μὲν Κάδ-*

---

[57]) Quamquam non in rebus solum sed etiam in singulis verbis duo auctores haud parum congruunt. cf. Parth: *πολλάς τε ἄλλας γυναῖκας κατέσυραν, ἐν δὲ καὶ τὴν Ἀλωέως γυναῖκα Ἰφιμέδην καὶ τὴν θυγατέρα αὐτῆς Παγκρατώ· ἧς ἀμφότεροι εἰς ἔρωτα ἀφικόμενοι ἀλλήλους κατέκτειναν.* Diod. 6: — *ἑτέρας τινὰς γυναῖκας ἥρπασαν, ἐπιφανεστάτας δὲ τήν τε Ἀλωέως γυναῖκα Ἰφιμέδειαν καὶ τὴν θυγατέρα αὐτῆς Παγκράτιν.* — — *ὑπὲρ τῆς Παγκράτιδος ἐρίσαντες ἀλλήλους ἀνεῖλον.*

[58]) Itaque in prooemio tractare debebam, sed ne ordinem chronologicum disturbarem, huc reservavi, quia ne minima quidem cum Euripideo illo cantico familiaritas intercedere potest: neque igitur haec narratiuncula in principibus fontibus numeranda est.

μου καὶ Θηβῶν οἰκίσεως οὗτος ὁ ἀληθὴς λόγος, τὰ δ' ἄλλα μῦθος καὶ γοητεία ἀκοῆς. ita non loquitur nisi qui id agit ut communem omnium hominum sententiam falsam esse, quae suae locum cedat, cunctis persuadeat. itaque iam a principio putare possumus ea, quae Conon hic proponat, longe abhorrere ab eius aetatis religione, ab ipso potius aut innovata aut ex densissimis tenebris protracta esse. et profecto ad hanc sententiam perducimur, cum singula examinamus. quam enim ob rem initio de Thaso Cadmi fratre certiores fimus, qui nusquam in tota de Thebis condendis fabella revertitur? nimirum ostentandae rarioris doctrinae causa, unde discimus Euripidis Phrixum (fr. 816) non pariter ac Phoenissas favorem posteritatis obtinuisse. sed multo absurdiora sunt quae sequuntur, velut Thebarum nominis explicatio, itemque Spartorum, denique pugna inter Boeotos et Phoenices commissa. quid? Boeoti proprias urbes habitabant, dum ignorant cassides clipeosque? Cadmi sodales, quia ex insidiis subito prorumpentes quasi ex ipsa terra procreari videbantur, *Σπαρτοὶ* appellati sunt? quis tandem *ἔσπειρεν?* an Cadmus, qui in Aegypto (sic!) versabatur, aut Boeoti, contra quos pugnant? praeterea vide, quam vehementer auctor noster sibi obloquatur: nam si Photio fides est, narravit modo, *ὡς Κάδμος ὑπὸ τοῦ Φοινίκων βασιλέως ἐπὶ τὴν Εὐρώπην σταλείη*, modo *σταλῆναι δὲ Κάδμον οὐχ, ὡς Ἕλληνές φασι, κατὰ ζήτησιν Εὐρώπης κτέ.* coniicere paene possis Cononem, hominem ceterum fide adhuc incolumi, haec auctori debere, qui extra totius graecitatis fines versatus sit, et Aegyptio quidem, qualis Diodoro quoque praesto fuerit I 23, 4;[59]) nihil igitur nos docet nisi ea tum valuisse, quae ut exterminet atque funditus evertat operam dat: Europam a Jove tauri formam adepto raptam et a Cadmo quaesitam, oraculum Cadmo Delphis de vacca datum, Cadmi in Boeotiam adhuc incultam adventum, pugnam qua Minerva adiutrice draconem vinceret, victi dentes terrae mandaret: ea denique quae Euripides cecinisset. etsi igitur vulgaris illius aetatis religio adeo ab Euripidis Phoenissis pependit, tamen fieri non potuit ut unusquisque illam potissimum fabulam legeret atque memoria teneret; debet

[59]) cf. id. V 48, 5: *οὐ καθάπερ Ἕλληνες μυθολογοῦσι*, quamquam de alia re dicta: eodem loco et *κατὰ ζήτησιν τῆς Εὐρώπης* verba Cononis revertuntur, tamen in rei summa longe dissentit.

vero egregie culta esse a poetis grammaticisque eius quae intererat aetatis, cuius artis tamen pauca monumenta ad nos pervenerunt.

Quaeritur autem, num usui fuerit magnis Augusteae aetatis poetis elegiacis. et Supplices quidem Euripidis ab omnibus lectam fuisse confido, quippe qui creberrimi sint in Euadnae gloriosa morte celebranda, quam fabulam ut antiquissimam ita Euripidis demum auctoritate longius propagatam esse veri simile est.[60]) at dubia res est in Phoenissis, ubi quem adeamus solum habemus Propertium; quem ad mythographos Graecorum poetas plurimam operam adhibuisse notum est, priusquam ad antiquitates Romanas transiret. is praeter II 34, 37 seq., unde nihil ad historiam fabularem redundare potest, cum quae ex Lyncei,[61]) Propertii aequalis, carminibus de Amphiarao et Capaneo afferantur, nimis in universum dicta sint, quam ut de certo fonte cogitare possimus,[62]) — uni praeter hunc loco rerum Labdacidarum Propertius mentionem iniicit, et catastrophae quidem. versus sunt II 9, 49:

non ob regna magis diris cecidere sub armis
Thebani media non sine matre duces,
quam mihi, si media liceat pugnare puella,
mortem ego non fugiam morte subire tua.

non opus esse puto rerum connexum pluribus explicare, cum Propertius mythum brevissimis et solito clarioribus verbis commiserit: „Eteocles et Polynices una cum matre ceciderunt.“ hanc versionem ab Euripide primo atque in Phoenissis prolatam esse supra praemisi; certum igitur videtur, vestigia eius a Propertio anxie premi.

Ad Diodorum transeamus, cuius de fontibus certa ut explorarem mihi non contigit. atque cum de Cadmo, cuius mentiones passim historiis suis inicit, nullam praebeat perpe-

---

60) Hoc perspexit Welckerus gr. trag. II 574.

61) Nec de huius nec de Pontici, Ovidii Propertiique amici, Thebaide hilum sciri potest; mera igitur conietura est Teuffelii (Röm. lit.-gesch. 534[4]), Ponticum vestigia pressisse Antimachi, quem apud Romanos non nimio in honore fuisse praeter Catullum 95, 10 etiam Statii exemplum docet.

62) Alias quoque fontes Lynceo fluxisse ludorum Nemeorum (Archemori, Adrasti, Arionis), mentio ostendit.

tuam narrationem, de Euripideo cantico eo minus potest cogitari, quia ne singula quidem illa congruunt; sed quae ad Phoenissarum argumentum spectant, IV 64 et 65 diserte traduntur. et de his quidem egregie disputavit Schwartzius in commentatione supra laudata (de schol. Homer.), ubi p. 449 et Diodorum et Apollodorum, quaecumque usque ad Polynicis exilium enarrent, Phoenissis debere demonstrat. atque in his, quantum quidem ad Diodorum spectet, nihil habeo quod addam, nisi quod etiam in reliqua narrationis parte non omnia ab Euripide aliena esse videntur. is enim, quamquam de Tydei celebri legatione non minus tacet quam de Adrasti cum Amphiarao rixa Eriphylaeque insidiis, tamen Diodoro auctor fuit ad septem duces eligendos: Adrastum Polynicem Tydeum Parthenopaeum (Atalantae filium) Amphiaraum Capaneum Hippomedontem. in ultimis denique verbis Diodorus quoque, ut Apollodorus 97, 17, sequitur Supplices Euripideam.

Hygino quae usui erant compendia, inter vastam, quam de Labdacidis quoque advehebant farraginem, etiam Euripidea nonnulla continuisse iam Welckerus perspexit gr. trag. I 562, ubi Polynicem natu minorem atque a fratre iniuste tractatum et ab aliis et ab Hygino inde repetitum esse suo iure affirmat. idem de aliis valere confido, quae quam brevissime enumerem: fab. 66 veriloquium *Οἰδίποδος*, quod iniuria Euripidi 27 abiudicant; fab. 67 quod Oedipus spurius appellatus commovetur ut Delphos migret, cuius rei causas teste schol. 33 alii aliter narrabant; deinde de Laii cum Oedipo pugna. nam hic singula quoque congruunt: cf. Eur. 39—42:

καί νιν κελεύει Λαΐου τροχηλάτης·
ὦ ξένε, τυράννοις ἐκποδὼν μεθίστασο.
ὁ δ' εἷρπ' ἄναυδος, μέγα φρονῶν· πῶλοι δέ νιν
χηλαῖς τένοντας ἐξεφοίνισσον ποδῶν.

cum Hyg.: „*quem satellites cum viam regi dari iuberent, neglexit. rex equos immisit et rota pedem eius oppressit.*“ [63]) quae sequuntur in fabula ista, Sophoclea sunt, nisi quod Me-

---

[63]) Quod pergit: „*patrem de curru detrahit*“, illustratum videmus operculo sarcophagi infimae aetatis, quem in museo Lateranensi asservatum publici iuris fecit Petersenus, Mon. dell' inst. VI/VII, 68; ann. 1862 p. 168 (Benndorf-Schöne, catal. 387).

noecei mors per errorem huc translata videtur. in fab. 68, si qua alia mutila, Euripideum deprehendimus, praeter Welckerianum illud, oraculum Tiresiae, quo commotus Menoeceus se pro patria devovet. sequitur 69 oraculum Adrasto de filiabus leoni aproque nubendis datum, Tydeique cum Polynice adventus. filiarum nomina, ut interpretatio oraculi, in omnes hos libros ex schol. Phoen. vel hypothesi pervenisse possunt, quibus ipse auctor haud scio an fuerit Hellanicus; cum enim de Argia certe locutum esse schol. 71 docet. sed ad fabulam 70 transeamus, quae ita ut nunc se habet, nihil cum Euripide facere potest, cum uniuscuiusque ducis genealogia addatur: sed is qui composuit, certe in eligendis eisdem septem ducibus, quos supra enumeravi, Euripidis exemplum secutus est. — De fratrum rogo cum iam disputatum sit, neque cetera quae Hyginus Thebana continet, ad Phoenissas spectare possint,[64]) velut Hypsipyle Antigone Eriphyle Epigoni Tiresias, iam hunc auctorem relinquendum duco, ut imperatorum aetatem Romanorum examinemus.

Ibi primum locum obtinent duae Senecae tragoediae, Oedipus et Phoenissae, altera extra propositi nostri fines sita, quippe quae tota fere sit in Sophoclis Oedipo Rege exprimenda, altera nihil nisi fragmentum ex diversis frustulis conglutinatum. tamen in utraque Euripideae fabulae vestigia cernuntur. quod cum de Phoenissis iam per se probabile sit, si etiam in Oedipo demonstrari possit, ultro eluceat, ipsi Senecae Phoenissas usui fuisse, ut qui vel in hac Sophoclea fabula compilanda facere non posset quin illinc nonnulla reciperet quamvis minutula.[65]) talia in Oedipo tria investigasse mihi videor: primum enim vs. 5: „Quisquamne regno gaudet? O fallax bonum“ simillimus est Eur. 551 περιβλέπεσθαι τίμιον; κενὸν μὲν οὖν. deinde quae 710 seq. chorus de Cadmi adventu, Delphico oraculo, vacca duce, dracone, Spartis canit, ex Euripideo quod supra tractavimus cantico quin petierit eo minus dubito, quod

[64]) Minoris enim momenti est, quod „draconteum genus“ (68, 72) fortasse repetitum est ex Phoen. 940 seq.

[65]) De Aeschyli Oedipo ne paullisper quidem cogitandum esse iam inde prospicitur quod nihil legimus de Oedipo filios exsecrato, omnino filiorum nulla occurrit mentio. quae 644 prodit Laii Erinys non magis graeca est quam Statii Tisiphone.

omnia singula concinunt, ex quibus, ne longus fiam, haec tantum seligam, quae simul prohibent ne, quod alioquin persaepe conveniat, Ovidium Senecae auctorem ducamus. de Spartis dicit Eur. 670 ἔνθεν ἐξανῆκε γᾶ κτέ iam supra exscripta. Sen. 731: „*feta tellus impio partu effudit arma: — — agmina campos cognata tenent, — — donec cecidit saeva iuventus genetrixque suo reddi gremio modo productos vidit alumnos.*"

Tertium quod in animo habeo ad Tiresiam spectat. is apud Sophoclem, cum caecus in scaenam veniat, famulis quibusdam nititur, cf. Oed. R. 297: οἵδε γὰρ τὸν θεῖον ἤδη μάντιν ὧδ' ἄγουσιν; Euripides illum fortasse corrigere sibi visus est, cum vati propriam filiam dedit comitem: 834 ἡγοῦ πάροιθε, θύγατερ et 953 ἡγοῦ, τέκνον, πρὸς οἶκον, quam severioris tragoediae normam secutus anonymam reliquit. iam ad Senecam te convertas. 290 Tiresiam a Mantone filia in scenam produci iubet; sequebatur igitur Phoenissarum, quoniam de sola hypothesi cave cogites, exemplar ab Alexandrino grammatico quodam, quem Aristophanem Byzantium fuisse veri haud dissimile est, recensum, qui inter κωφὰ πρόσωπα locum tribuit etiam M a n t o n i Tiresiae filiae. — item de Phorbade cf. Welcker trag. 544, Wilamowitz. Anal. Eur. 186. omnino vero Alexandrinae poesis non omnem peritiem Senecae cum Oedipum scriberet defuisse inde colligo, quod et 321 flammam divisam, quam in carmine Alexandrino apud Eteoclis Polynicisque sive rogum sive inferias invenerat, ad Tiresiae sacrum Oedipi iussu institutum defert, et 425 Bacchi expeditionem Indicam celebrat, qui mythus post Alexandri Magni demum aetatem increbruit. huc fortasse etiam sacra, quae Tiresias coram Mantone in loco abscondito facit, Laiique mortui reditus numerandi sunt, quippe quae cum apud Statium revertantur, ex veteriore in haec carmina recepta quamvis transformata esse debent. cave tamen ponas alexandrinam aliquam tragoediam unicum Senecae fontem: poetam tertii saeculi maxime dedecebat Atticos ita compilare. immo de compendio aliquo cogito, ex quo etiam Acteonis fabulam (751 cf. Phoen. Sen. 14) hauserit, semper, velut ab Apoll. bibl. 86, inter Thebanas narratam, occasionem praebente Autonoa Cadmi filia.

Plura sunt quae ad eiusdem P h o e n i s s a s adnotemus. de his cum praeclare disseruerit Fridericus Leo, obs. crit.

in Sen. trag. p. 75 seq., iam constat ultimum tantum eorum quae Phoenissas componant fragmentorum huc spectare[66]), Euripidique id debere, quod Oedipus occaecatus Thebis, dum oppugnentur, vivat; deinde Iocastam *προλογίζουσαν*, et quod Polynices cum Argivorum exercitu adsit regnum petiturus, Iocasta cum Antigona ad fratres properet eosque ad pacem ineundam commovere conetur.[67]) duas igitur scenas Euripideas, quibus Jocasta inter filios intercessura erat, Seneca in unam contraxit. ac re vera haec summa sunt, sed minora nonnulla addenda. velut 383-386 Iocasta quanto maiore amore Polynicem adfectaverit adfirmat; quem quod 464 seq. et 501/2 amplectitur, Euripides quam vividissimis coloribus depinxit in monodia 305 seq.; eiusdem ensem srictum (468 et 490) Euripides consulto monstrat 363; deinde cf. Eur. 362 *εἰς φόβον τ' ἀφικόμην, μή τις δόλος με πρὸς κασιγνήτου κτάνῃ* cum Sen. 492 „vereris fratris infesti dolos?" — Eur. 344 seq. ad Sen. 505-510. Eur. 114—116 = Sen. 566—571. Eur. 186—189 = Sen. 575/6. denique in scena finali Eteocli prorsus eidem mores attribuuntur, qui apud Euripidem (499 et passim), cum eadem inter matrem et filios aguntur.

Tandem eo pervenimus ut Statium perscrutemur, cuius Thebaïs duodecim libris conscripta eas potissimum res complectitur, quae Euripidis quoque Phoenissas explent. eximenda sunt ea quae uterque poeta in fine constituit: Statius cum de Oedipo nusquam fere nisi initio verba fecisset, neque ea, quae a Thebarum historia aliena essent, describenda sibi proposuisset, abstinuit ab Oedipi mortis descriptione, ergo a Phoenissarum fine atque magis etiam a Sophoclis Oedipo Coloneo[68]), immo

---

[66]) Prima scena quamvis Sophoclis Oedipum Col. exprimat, tamen ea ipsa de causa per Euripidem provocata est. ex Sophocle vero cum alia tum dira Oedipi contra filios missa originem ducunt, quae Sophocles, in priore Oedipo contra Aeschyli auctoritatem neglecta, iam Euripide duce recipienda curavit.

[67]) Ex 403 neque minus ex 476 paene concluserim, Senecae tabulam Alexandrina aetate pictam oculis obversatam esse, de qua infra in sarcophagis interpretandis verba facere constitui.

[68]) XII 509 nimis breviter atque in transcursu dictum est quam quod ad tragoediam reduxeris, quamquam Oedipi Col. argumentum in scholiis legimus, cuius poeta quod Aristophanes appellatur, Lactantii potius quam librariorum culpa factum opinor.

si omnino tragoediae operam dedit, Aeschyli modo Septem et Euripidis Phoenissae in censum venire possunt, quoniam de minoribus tragicis velut Philocle Aristarcho Meleto Timesitheo absurdum esset cogitare. itaque cum illa secluderet, tanto plura Statio dicenda erant de septem ducum sepultura, cuius mentio a Phoenissis abest: id quod fecit in ultimo libro, adhibitis cum aliis tum, ut supra notavimus, Euripidis Supplicibus[69]) et Callimachi Aetiis, pro quorum altero Antigonam Euripideam Robertus, carmen Alexandrinum poetae Callimacho iunioris Wilamowitzius positum mavult; praeterea v. 582 haud dubie ad Callimachi Hecalam revocandus est, etsi qui praecedit Thesei laborum catalogus enchiridion subolet; Callimacheum[70]) id denique est, quod 632/4 Minervae oliva in Athenarum arce nata commemoratur, non commenoratur Neptuni fons salsus.

---

[69]) Quamvis multa ab Eur. Suppl. dissentiant, velut praeconis partes, tamen his ipsis et crebra rerum Atheniensium mentione illuc relegamur. Argiae vero pulcra descriptio imprimis Alexandrino poetae convenit. atque hoc loco monitum volo Argiam, quae inde ab Hellanico (schol. Phoen. 71) semper Polynicis uxor audit, a Theocrito XVII 53 procul dubio antiquiorem auctorem secuto attribui Tydeo, qui ceteroquin Deipylam illius sororem accepit. nisi forte Theocritum ita lusisse credis — errare enim non potuit — ut Ἀργείαν pro Argiva usurparet atque lectores potius facetis ambagibus torqueret quam singulari doctrina delectaret.

[70]) Compendii alicuius vestigia ibi quoque deprehendere mihi videor, ubi Statius cum Ap. bibl. consendit, quamvis diverso ab huius fonte usus. huc non modo quaecumque de Tydeo narrantur traho, sed etiam genealogica; accedit quod uterque in septem ducum expeditione non modo episodium Nemeaeum, sed etiam causas, cur Hypsipyla Lycurgo regi serviret, ideoque Lemniarum historiam exacte rettulit (Apldr. 94, 12); utriusque tamen fontes hic quoque aliquanto inter se distare iam ex eorum, qui ludis Nemeis vicissent, enumeratione prosequitur. tamen ille consensus contra Welckerum facere mihi videtur, qui trag. II 560. Statii libros IV et V Euripideae Hypsipylae imaginem referre censet: nihil ille de Lemniis narrabat, nisi forte in transcursu. accedit quod tacet Statius de vite bacchica, qua ab Euripide ἀναγνωρισμὸν adductum esse ex fr. 765 constat, quo siquidem Welckerus recte traxit columnam Apollonidis Cyzicenam caelatam (Anth. Pal. III 10), Argivorum aliquis ducum Lycurgum alloquebatur fr. 760, idemque Eurydicam 757, quem Amphiaraum fuisse Plutarchus testatur. — Ad Statii vero fontem indagandum hoc fortasse nos ducat, quod Polyxo Hypsipylae nutrix ei V 90 et 131 et cum Apoll. Rhod. I 668 et eius compilatore Valerio Flacco II 316 communis est; cf. Hyg. fab. 15. Argonautica aliqua Statio praesto fuisse coarguunt IX 734, XI 437, eaque haud dubie Valerii Flacci.

atque etiam in exterioribus hic liber a prioribus aliquantulum diversus est: nusquam enim facile invenias comparationem octo integros versus complexam, qualem habes 270—278, nusquam tres deinceps versus, quorum post primi pedis dactylum gravius incidatur, quod fit 765—767, 776—778, antea semel XI 329—331, ubi interrogationes vehementer urgentes singularem causam praebebant. — praeterea autem a disquisitione nostra excludenda sunt, quae legimus de Tydei legatione in libr. II,[71]) de Nemea atque Hypsipyla[72]) in lib. IV et V et VI, ac nonnulla alia, quibus poeta continuae narrationis tenorem consulto interrupit, velut quae de Crotopo Erigona Eriphyla tadidit. at eo difficilior quaestio est de ceteris. atque cum in hac Thebaide conscribenda duodecim annos se occupatum fuisse ipse Statius indicet XII 811, facile tibi subnascatur suspicio, poetam plurimum et operae et temporis eo consumpsisse, ut materiam undique colligeret fontesque semper novos indagaret. sed aliter sentio. poeta qui non, ut Alexandrini, idem grammaticus erat, studiis mythographicis non adeo deditus erat, neque remotioris doctrinae mythorumve absconditorum multa invenimus vestigia. praeterea Thebaidem a Statio iuvene incohatam atque aliis carminibus, velut Silvis, quarum adeas velim cum alias tum III 5 et V 3 et praefationem, persaepe interruptam, neque unam sed per singulos libros paullatim foras emissam esse constat; studium autem summum poeta formae attribuit, qua perfectum rhetoricae declamationis specimen[73]) et sibi et aequa-

[71]) Hanc ad describendam non dubito quin incitatus sit exemplo Homeri (Ι 384—398), quem ipsi inter manus fuisse sexcenti loci, ut in primo libro deorum coetus, argumt: et hic quidem concinunt insidiae quinquaginta virorum, quorum unum Maeonem Haemonis filium Tydeus dimittit superstitem. etiam quod 684 Minerva intercedit, Homerico 390 debetur. tamen haec quoque auctoribus et compendio aliquo et arte oratoria amplificavit. — Arctius Homeri vestigia pressit Apoll. bibl. 94, 28, qui nusquam ab exemplari differt, nisi quod Cithaeronem pro Asopo posuit. vide tamen, quanto aptius haec legatio instituta sit, postquam exercitus Argivorum in Boeotiam advenerit, quod Homerus et Apollodorus, quam ante expeditionem susceptam, quod Statius memoriae prodidit.

[72]) Ne in his quidem deesse, quae ad quaestionem nostram spectent, IV 615 exemplo esse potest, qui indicat Oedipum dum expeditio fiat Thebis morari. tamen eadem vel alioquin neque raro audimus.

[73]) Ut ex multis unum afferam exemplum, vide quam ingens studium ad comparationes componendas consumpserit; quas ut trium inter et septem versuum spatium retineret, certam sibi conformasse normam videtur.

libus (cf. Juvenal. VII 82) videbatur composuisse. hoc ut assequeretur, poetas Romanorum veteriores inde ab Ennio, praecipue vero Augusteae aetatis, inter quos palmam Vergilio tribuebat, imitandos atque superandos sibi proposuit, unde apparet, quid sibi velint de Thebaide dicti vs. XII 816/7:

nec tu divinam Aeneida tempta,
sed longe sequere et vestigia semper adora.

ita perbene fieri poterat, ut ad singulos libros condendos annum impenderet, neque tamen de fabulae tractandae historia Statius adeo multa comperta haberet. secutus igitur est in re ipsa vulgarem quae erat de rebus Thebanis opinionem, quam ipse ex compendiis et enchiridiis nonnullis amplificavit, qualia ei praesto fuisse iam infinita illa nominum propriorum multitudo evincit; [74]) contrarium tum modo probari possit, si Thebaïs aliqua monstraretur, quam unicam sibi exprimendam sumpsisset. id autem fieri posse praefracte nego; Romanum enim poetam cum ita compilare non deberet, — ac si compilasset, eadem de fontibus quaestio nobis tractanda esset, — graecum arcessivisset, quorum neque de carminibus cyclicis fragmenta neque de Antimacho ea quae supra disputavimus cogitari sinunt. omnino autem nimis multa vere Romana invenimus, quam quae omnia ad graecum exemplar referamus, quod si unum fuisset, nemo hercle ignorasset. sed cum nonnulla certe carmina, quibus res nostrae tractatae essent, Statio quoque innotuisse certum sit, videamas num aut ipsi aut eis quos sequeretur fabulae narrationibus Aeschyli Euripidisve tragoedia praesto fuerit.

In primo libro minoris ponderis esse videatur v. 40, qui Argivos Ismenum tenuisse haud ita dissimiliter atque Eur. 101 indicat. neque quod 41—45 duces Polynicem comitantes breviter enumerantur quinque, nimium urgere volo: haec extra narrationis fines sita sunt. sequuntur autem (—87) Oedipi dirae. quas cum ex ulla tragoedia, cui Oedipus inscriberetur, sumpsisse non possit — nihil enim cum illarum argumentis ei faciendum —, fortasse crebrae illarum et in Aesch. Sept. et in Eur. Phoen. mentiones eum ut longius exsequeretur permoverunt. ac de Aeschylo quidem, qui Oedipi Ἐριννὺν habet,

[74]) Quod I 278 de Jove dicit „*mentitaque manes Creta tuos*“, valde sapit Call. hym. Jov. 8/9. adde quod schol. IV 45 Callimachum nominat.

propter Tisiphonam cogitare possis; at iam monuimus, hanc non veram deam, sed inter inanes illas abstractiones tam Statio quam reliquae Romanorum et arti et poesi tunc in deliciis habitas numerandam esse. Euripidem immo id commendat, quod Oedipus caecus Thebis mansisse et in aedium penetralibus degere 46 seq. perhibetur. quae ipse iam effuttit, Euripideum prologum satis exacte sequuntur: habes Oedipi incunabula apud Polybum, Laii mortem „*trifidae in Phocidos arcto*“ (i. e. *Φωκίδος σχιστῆς ὁδοῦ*), ubi addit „*dum quaero patrem*“, Sphingis iniquae ambages resolutas, conubium cum matre factum, liberos creatos, oculos perforatos. sed hucusque, quamvis bene conveniat ordo, non necesse est Euripidem ducem putare unicum; necesse est in sequentibus, quippe quae primo Euripidi debeantur. nova enim erant quae protulit Phoen. 63—66:

> *ἐπεὶ δὲ τέκνων γένυς ἐμῶν σκιάζεται,*
> *κλείθροις ἔκρυψαν πατέρ', ἵν' ἀμνήμων τύχη*
> *γένοιτο πολλῶν δεομένη σοφισμάτων.*
> *ζῶν δ' ἔστ' ἐν οἴκοις.*

quae Statius ita circumscripsit:[75])

74 *orbum visu regnisque parentem*
> *non regere, aut dictis maerentem flectere adorti,*
> *quos genui quocumque toro; quin ecce superbi*
> *pro dolor! et nostro iam dudum funere reges*
> *insultant tenebris gemitusque odere paternos.*

eis quae succedunt novem versibus exprimit Eur. 67/8:

> *ἀρὰς ἀρᾶται παισὶν ἀνοσιωτάτας,*
> *θηκτῷ σιδήρῳ δῶμα διαλαχεῖν τόδε.*[76])

adhibuit igitur Statius ad initium operis sui prologum Phoenissarum. et profecto sequuntur fratrum *συνθῆκαι* (130, 138 seq.; 143 = Eur. 75), Polynices ab regnando contra ius fasque exclusus; atque in hoc potissimum Statius quam maxime Euripideum se praebet, quod Polynicem non hic solum, sed per totum carmen summa, ut ita dicam, sympathia non sua verum tantum etiam personarum suarum afficit, Eteoclem contra

---

[75]) cf. Welcker ep. cycl. I 335, qui tamen iniuria, ut opinor, haec omnia ad Thebaida cyclicam rettulit.

[76]) Ad Oedipi diras filios inter se necare iubentes Statius postea saepissime recurrit; quos locos cum omnes huc respicerent, singulos enumerandos non duxi.

ut durum iniustumque tyrannum depingit; cf. 170, 188 seq., 312; II 312; IV 84; VII 535; VIII 616; X 580; Welcker p. 562. luculentissimus est I 312, ubi fratrum sortes comparantur, quorum alter regnat, alter exsul vagatur, fortasse Eur. 72/3 circumscribitur.

Sequitur apud Euripidem *τειχοσκοπία*, cui hic, deinde chori *πάροδος*, cui omnino locus Statio denegandus erat; neque aliter de Iocastae monodia dialogique inter Iocastam et Polynicem acti parte sentiemus, cum Statius adhuc in rebus Thebarum oppugnationem praecedentibus occupatus sit. quarum tamen siquidem nonnullae et in monodia et in dialogo repetuntur, has non minus quam prologum pariter ab Iocasta recitatum ad sua adhibuisse potest; teneas autem, Iocastae omnino nullam adhuc mentionem factam esse, ut nesciamus quidem, num Statius idem de ea senserit quod Euripides, intellegamus autem eum ab illa, quam et Aeschylus et Sophocles et vulgaris ante Euripidem opinio secuta esset, versione recessisse, qua Iocasta Oedipo occaecato et stupro patefacto statim se ipsa occideret. — iam progrediamur. 395 Adrasto Argivorum regi Apollo vaticinatur generos *„setigerumque suem et fulvum adventare leonem"*, id quod Polynices matri refert 409. 411:

ἔχρησ' Ἀδράστῳ Λοξίας χρησμόν τινα,
κάπρῳ λέοντί θ' ἁρμόσαι παίδων γάμους.

oraculum ita perficitur, ut Tydeus et Polynices exules cum noctu ad Adrasti domum venissent, de cubili rixati ab Adrasto hospitaliter excepti filiis spondeantur. Eur. 415—423. Statius quantum primi libri superest — remota Coroebi historia, quam ex Knaackii praeclara disputatione (Anal. Alex.-Rom. diss. Gryph. 1880 II, 1) Callimacheam esse scimus — partemque secundi huc impendit. atque apud Euripidem (413) Polynices cur cum leone, Tydeus cum apro comparatus sit ignorat — si locus sanus est, quod vix credam, quia 412 et 420 eandem quaestionem continent neque 414 praecedentem apte excipit; neque tamen Kirchhoffii transpositione, qui Jacobsio praeeunte 413 et 414 ante 409 reiecit, rem absolutam esse arbitror, siquidem 412 non ab 415 excipi potest [77]. sed utut est, 415 et 421 circumscribit Stat. 401—420 (ad Eur. 415 νὺξ ἦν

[77]) Speciosissima est Roberti coniectura, quae demptis vv. 412/3 omnes difficultates tollat, si fingi possit, qui tales versus diverbio intruderit.

cf. Stat. 403 „eadem sub nocte"); deinde quod Stat. 483—490 oraculum illud ex pellibus leonina et aprina, quibus Polynices et Tydeus amicti sint explicat, auctorem habuit scholion aliquod, quale nos legimus adscriptum ad 421 **ὅτι ὁ μὲν κάπρου, ὁ δὲ λέοντος δορὰν ἠμφίεστο**, cf. Suppl. 140 ff. Deinde generis Adrastus *„auxiliumque futurum Et patriis spondet reduces inducere regnis"* Stat. 199, 200, Eur. 427—429, qui quod Polynicem addentem fecit *πρόσθεν δ' ἐμέ*, Statium ut omnes, quicumque haec narraverant, postea imitatores habuit. — hos nuntios apud Statium cum non ipse Polynices Euripideo exemplo ferre possit, Thebas Fama apportat 205 seq. itaque cum Phoenissarum certa vestigia iam apparuerint, Statium, ut 313 Polynicis Antigonaeque discessum tam flebiliter describeret, illinc perductum esse arbitror, ubi Antigonam cum fratre neque solum mortuo facere didicerat,[78]) cf. Eur. 163.

Quae in tertio libro de septem ducibus (531) eorumque fatis vaticinatur Amphiaraus 536 seq., nimis urgere nolo, quoniam postea, omnia pluribus enarrantur; sufficiat nunc dicere Amphiaraum expeditioni infestum antiquitus vulgariorem esse, quam qui ex certo fonte a quoquam repetatur; Hippomedontem vero Ismeni fluminis undis obrutum, quantum circumspicere mihi quidem licuerit, uni Statio proprium esse; ac prope abest suspicio, hoc innovandum sibi indulsisse Romanum poetam, non tam ut rei novitate delectaret, quam ut Homericam Achillis cum Scamandro luctantis (l. XXI) descriptionem latine exprimeret vel potius superaret. Capanei denique singularem feritatem ut ex quovis carmine ita ex Phoen. 180/1, 184--189, 1172—76 sibi adsciscere poteeat, pariterque Parthenopaei iuventutem et flavam comam ex 147, 1159.

Liber quartus tandem plenam ducum enumerationem perhibet (69) contra Thebas profecturorum: atque ibi Adrastum inter septem collocatum videmus, ideoque in hac re capitali Statium Euripidis imitatorem: eidem septem duces sunt qui in Phoenissis. atque complurium etiam signa in clipeis gesta describuntur, qua in re, ut in portarum distributione, ipsa quoque tragoediae propria, compilatores sequioris aetatis, qui

---

[78]) Quod Lactantius addit: „Antigonam dicit, quam frater sepelivit", per errorem natum est, siquidem talis fabula nusquam exstitit; immo dicendum erat: „quae fratrem sepelivit".

tales minutias non ita valde curarent, obiter egisse suoque arbitrio saepe variasse iam per ese probabile est. haud multum igitur mirabimur si Hippomedontis Capanei Amphiarai signa Statiana apud neutrum tragicum invenerimus, ut prorsus desperandum esset de discrimine faciendo, uter Statio rationem suppeditasset, nisi opitulatum venisset Parthenopaeus teste Statio 267:

Imbelli parma pictus Calydonia matris Proelia; Eur. 1107:

ἐπίσημ' ἔχων οἰκεῖον ἐν μέσῳ σάκει
ἑκηβόλοις τόξοισιν Ἀταλάντην κάπρον
χειρουμένην Αἰτωλόν.

Statim ad librum septimum transire possumus, qui praecipue **τειχοσκοπίαν** continet. hanc ut carmini suo insereret Statius potuit adduci exemplo Homerico, quod affirmat scholiasta ad 246 Phoenissarum sane ignarus; potuit vero hac quoque fabula eo usus esse, quam ipsius inter manus fuisse ex hac potissimum scena elucere mihi persuasi. prospicit enim, ut in prologo Euripideo, ex turri Antigona 244 cum paedagogo (362, cf. schol. 246), quem Laii armigerum Statius fortasse propterea appellat, quia ad hostes se pervenisse ipse ait Eur. Phoen. 96/7 Antigona quod 243 perhibetur *„nondum concessa videri populis,“* redit ad exemplum Eur. 89—95, 99. ad Stat. 241 cf. Eur. 111. deinde Antigona ex paedagogo quaerit, num Thebae bene munitae sint, isque innuit, Eur. 114—117; eadem Stat. 247 et 254, quamquam paullo pluribus verbis, exprimit. iam quae apud Euripidem sequitur septem ducum descriptio, Statio necessario erat omittenda, utpote iam antea confecta. substituit tumidissimum Thebanarum virium catalogum. deinde Etocles 373—376 cunctos silere iubet more porsus Euripideo 1224/5. iam priusquam pugna committeretur, ultimum temporis spatium restabat, cui scena insereretur, quae omnibus rhetoribus — Senecae memento — tam aptam materiam praebuit, qua Iocasta filiis pacem faciendam persuadere conabatur. eam scripserat primus Euripides; quicumque igitur postea idem fecit, ab eo pependit. id igitur in Statium quoque quadrat, qui tamen, ut semper exemplaria sua superandi erat studiosus, ita ne hic quidem in eo acquievit, ut Polynices per **ἄγγελον** (Phoen. 83) nescio quem Thebas revocaretur: immo suo Marte processit, respiciens fortasse ad Coriolani histo-

riolam: ipsam Iocastam fecit 478 cum filiabus ad castra hostilia properantem; itaque huc traxit Eur. 1274 seq., ubi Iocasta Antigonam hortatur, ut secum cito ad campum proficiscatur. hic igitur ad Polynicem tendit hortatura (cf. XI 103), ut Thebas intraret. haec omnia Euripidea; ipsum conloquium Statius omisit, partim quod ad pugnam committendam omnes iam intentos esse sciebat, partim quod certamen diutius differre eo minus volebet, quia Polynicis modestiam domesticamque caritatem pariter atque Eteoclis crudelitatem regnandique feram cupiditatem iam in primis libris nimis liberaliter profuserat, quam ut quidquam apti ei huc restaret.

In pugna describenda Statius longissime aberravit a simplice illo, qui de Amphiarao prorsus tacet, Euripidis nuntio, ut Hippomedontis exemplo supra ostendimus. Tydei celebrem historiam Melanippi cerebrum devorantis manu mittere nullo modo potuit,[79]) Parthenopaeum omnino singulariter adamaverat neque de copiarum multitudine brevis esse voluit. ex tragoedia tamen id sumpsit, quod septem portae enumerarentur, quibus singulos tam aggressores quam defensores attribueret. quamobrem rursus de Aeschyli imitatione cogitare possis, sed impediris compluribus causis. primum enim Aeschylus quoque profectus est ab aggressoribus, quibus opponerentur defensores; tum nomina portarum non conveniunt. Euripides enim, quod iam monuimus, id contra Aeschylum fecit, quod pro Oncaea et Borraea porta Crenaeam et Ogygiam posuit; retinuit vero cum illo inter ceteras septimam anonymam. iam vide, quomodo Statius egerit in libro octavo: portas nominat Ogygias Neitas Homoloïdes Proetides Electras Hypsistas Dircaeas. harum si Dircaeam eandem putas cum Crenaea, quod putare oportet, Hypsistasque, quas nusquam adhuc invenimus, reicis, sex habes portas easdem, quarum nomina affert Euripides; nec desunt Ogygiae[80]) et Crenaeae Aeschylo alienae, desunt duae Aeschyleae. ergo Hypsista locum tenet anonymae, ac facile

---

79) Quod Aesch. Sept. 390 Melanippum Tydeo opponit, Statii auctor minime credendus est: penitus enim tacet de cerebris devoratis.

80) Ungerus parad. Theb. p. 257 cum Ogygias testimoniis nusquam ultra Euripidem recentibus firmasset, promisit se de Aeschylo dicturum esse; sed nihil quod huc pertineret invenire potui. ceterum Statius Ogygias praeter ceteras colebat; cf. XI 356.

perspicitur, quomado poeta aliquis aut grammaticus tragicorum illud silentium miratus septimae portae nomen aliquod certiore significatione carens de suo indiderit[81]). hunc non Statium ipsum fuisse inde colligo, quod in ceteris portarum catalogis a Pausania et Apollodoro servatis idem Hypsistae nomen occurrit. dubium igitur videtur, num hic quoque Statius Euripidem secutus sit; quod si fecit, septimum nomen ex alio fonte addidit, quem aptissime dicamus commentarium ad Phoenissas scriptum, qualem nonnunquam excerpsisse iam supra visus est (cf. quae de Atalanta crebro praedicat cum schol. Eur. Phoen. 151). sed eandem probabilitatis speciem habet opinio, qua omnia septem nomina ex enchiridio suo hauserit; id autem ad Euripidis exemplar redisse tum certum evadit. nihil igitur remansit Aeschyleae artis, quoniam ne defensorum quidem quisquam par nomen gestat.

At Euripidea etiam alioqui cernuntur vestigia. 672 seq. Eteocles et Tydeus vehementer inter se decertant: ac dubito num tale aliquid Statius dixisset, nisi Phoen. 1144 et praesertim 1164—1170 viam praemonstrasset; quamquam hoc quoque per compendii manus ad Statium pervenerit.

Liber nonus, Hippomedonti dedicatus, nihil continet, quod ad nostram rem faciat, nisi allocutio a Polynice 57 incohata simillima est Eteoclis ap. Eur. 1225, cuius initium a Statio expressum iterumque Eteocli datum iam antea invenimus.

Itaque ad decimum transeamus, qui praeter Capanei etiam Menoecei mortem tradit. Thebas Menocei voluntaria morte primus, quantum scimus, Euripides cecinit servari; quicumque consentit, imitatur. id de Statio quoque pronuntiandum est, qui non modo in rei summa, sed etiam in singulis quae praecedunt concinit; nam apud utrumque Tiresias flagitat, ut ad Thebas servandas immoletur, qui ex draconteo sanguine supersit. haec verba, quae et apud Hyginum revertuntur, Statius habet 613:

cadat generis quicumque novissimus exstat Viperi;

omnes autem sequuntur Eur. 940:

(γῇ στάχυν) σπαρτῶν ἀνῆκεν· ἐκ γένους δὲ δεῖ θανεῖν
τοῦδ', ὃς δράκοντος γέννος ἐκπέφυκε παῖς.

[81]) Ne Ungerus quidem III 5 Hypsistas ullo veteriore testimonio fulcit.

haec igitur, quamquam et in compendiis locum tenent, tamen Statius ex ipsa fabula sumpsisse eo magis videtur, quod illius lector iam supra plus uno loco apparuit. qua re minime prohibemur, quin Statii enchiridio eandem rem vindicemus; immo, quamvis tragoediae verba retineret, in rerum tenore persequendo illi fidus mansit. hanc coniecturam ut pericliter inde adducor, quod in Phonissis Menoeceus puer est pugnarum utique expers, in Thebaide iuvenis, militum dux, portae Dircaeae defensor, qui iam antea in proeliis perquam excellens exstitit. haec Statius innovasse non potest; redeunt ad poetam Euripide aetate minorem, qui Phoenissas admiratus tamen male contentus, quod voluntaria morte adscita patriam e summis angustiis servasset puer, Menoeceo partes magis heroicas attribuit. idem ex tragoedia mutuatus erat Creontem convicia in Tiresiam coniicientem; quae vero 722—735 leguntur, ea de suo addidit, ut Statius 633 seq. Virtutem. — iam haud parvi interest, qualem in modum mortem sibi adsciverit Menoeceus; nam supra vidimus Alexandrinae aetatis poetas complures ab Euripide profectos hanc tamen rem aliter enarrasse. apud Statium autem Menoeceus *electa murorum in parte* (756) primum mucrone se perfodit (774 seq.), deinde de muro se praecipitat. ita explicantur Euripidis verba angustissima:

1009 στὰς ἐξ ἐπάλξεων ἄκρων
σφάξας ἐμαυτὸν σῆκον ἐς μελαμβαθῆ,

et quae paullo inlustriora sunt nuntii 1091:

πύργων ἐπ' ἄκρων στὰς μελάνδετον ξίφος
λαιμῶν διῆκε τῇδε γῇ σωτήριον.

apparet Statium pendere ab Euripide.

Capanei corpus fulmine percussum diversa ratione ab utroque poeta describitur; concinunt autem ultima Capanei oppugnantis verba, quibus vel Jovis ignes se spernere proclamaverit: Eur. 1175, Stat. 902—906.

Difficillima de undecimi libri fontibus quaestio est, qui iam totus fere in proeliis depingendis versatur, ceteris plura continet propria ipsius Statii, qui omnino per totum opus in militaribus potissimum rebus sua, ut Romanorum moribus aptiora, addere solebat [82]). ita Euripidea quoque

[82]) Nolo exemplis notissimam rem firmare; sed memoratu dignum mihi videtur, quod XI 55 tubicen prorsus eadem ratione collocatus exhibetur,

magis magisque deficiunt. de Aeschylo autem hic aliquis cogitare propterea possit, quia 101 Tisiphona cum Megaera fratres ad mutuam caedem instigare constituunt, qualem scenam et in Cypseli cista et in monumentis Etruscis vidimus, sed frustra quaerimus apud Aeschylum, quamvis magnas partes Erinyi dederit. equidem de his furiis non aliter sentio quam de Tisiphona [83]) primi libri, de Virtute Pietateque, velut cum Menoecei corpus in terra deponunt XII 780 (nimirum exemplum secuti *Ὕπνου καὶ Θανάτου* qui in Il. XVI Sarpedonem similiter fovent); sed utut iudicas, tragoediae, certe Euripideae vestigia cessare concedas. atque ut XI 155 Polynices prior commendat fratrum certamen singulare, quod Euripides Eteoclem induxerat proponentem, ita ipsius certaminis descriptio iusto longius extensa atque suppressis pugnantium nominibus subobscura vel in singulis abhorret ab Euripidea. quae longius persequi non huius loci esse arbitror; sufficiat tres gravissimas causas afferre, quibus Statius ab Euripide discesserit: pugnant fratres iam non pedites sed equites (440, 450, 513 et passim); exsultat fratrem victum falso ratus non Eteocles (Phoen. 1416) sed Polynices (515—517); „*coeunt sine more, sine arte*“ (524), cum Euripideus Eteocles adhibuerit post alia *Θεσσαλικὸν σόφισμα* 1407/8. unum tamen Euripideum deprehendisse mihi videor, quamvis variatum. nam, si recte intellego, pugna equis amissis levioribusque vulneribus utrimque acceptis ita finitur 540 seq.

Polynices prior fratrem gravissimo vulnere afficit, 542;

Eteocles corruit semianimis, 554;

Polynices se vicisse opinatus triumphare (557) et fratrem exuviis spoliare conatur, 562;

---

quam in permultis sarcophagorum anaglyphis exsculptam cernimus Statio aetate minoribus. — aliam quoque personam ut ita dicam typicam, quae in sarcophagis saepe agnoscitur, apud Statium inveni: nam ianitor Orci, pictus ille quidem in tabula sepulcrali Ostiensi Orpheum exhibente (Mon. dell' inst. VIII 27), sed nullo Romanorum praecipue litterarum testimonio certo adhuc confirmatus, siquidem Hor. carm. XI 16 nonnulli ad Cerberum referunt, 17—20 ab ipso Horatio profectos rati, — clara voce appellatur a Statio VI 498.

[83]) Qualis X 330 apparet Eumenis, etiam ex Phoen. 1503 originem ducere potest.

Eteocles ultimo virium apparatu enixus Polynicem inopinatum ense perfodit, 567.

Simplicius quamvis artificiose rem Euripides instituit, pugnae summa in duas partes divisa, quarum utraque in binas rursus particulas dissolvitur; nam

I. Leviter vulnerat
  1) Polynices Eteoclem 1394
  2) Eteocles Polynicem 1399;

II. Fataliter occidit
  1) Eteocles Polynicem 1415
  2) Polynices Eteoclem 1422.

Vides ea quae numero II significavi, quae sola huc spectant, a Statio inter se mutatas esse. ideo dubitare possis, num Statius omnino Phoenissas huc adverterit; sed singula tibi persuadeant, eum nihil nisi ordinem inversum constituisse, conferas modo cum eis quae ex ipso Statio supra attuli hos versus Euripideos:

1415 ὁ δ' ὡς κρατῶν δὴ καὶ νενικηκὼς μάχῃ, Stat. 555;
1416 ξίφος δικὼν ἐς γαῖαν ἐσκύλευέ νιν, Stat. 562;
1419 ὃ καί νιν ἔσφηλ'· ἔτι γὰρ ἐμπνέων βραχύ,
σώζων σίδηρον ἐν λυγρῷ πεσήματι,
μόλις μὲν, ἐξέτεινε δ' εἰς ἧπαρ ξίφος,

cf. Stat. 554, 563—566. consulto igitur Euripidis rationem partim adoptavit partim immutavit, cum omnino in hac pugna describenda non unum certum ducem sequeretur, sed varia [84]) connecteret, quo diutius Romanis suis voluptatem praeberet.

Nonnullis denique locis minora exstant indicia, Statium legisse Phoenissas. velut v. 170 a Polynice contra fratrem properante declamatum: „*non si atra parens miseraeque sorores In media arma cadant — Deficiam*“, vix scripsisset, nisi similem scenam Euripides induxisset 1430, 1435. de septem ducibus (175—181) iam dictum est; 363 Antigona a paedagogo comitata (357) rursus Polynicem ex muro appellat. maioris

---

[84]) Quod 517—20 fraters ab equis mordicus implicitis in terram corruunt, fortasse factum est auctore Cornelio Nepote, qui vit. Eum. 4, 2 de Eumene Cardiano et Neoptolemo Armenio simillima refert. cf. multo pleniorem narrationem ap. Plut. Eum. 7, 5, qui quod vel comparationem (ὥςπερ τριήρων) eandem habet quam Stat. 520, aut casui aut pleniori olim Nepotis exemplari verba graeci auctoris incorrupta referenti tribuendum est.

autem momenti est, quod 327 Iocasta re vera in pugnae campum decurrit dimicaturosque flectere rursus conatur, denique caede demum perfecta se ipsa perimit 634. haec quamquam ita in Phoenissis non leguntur, tamen ex nullo alio auctore Statius repetere potuit, sicut Iocasta Euripidea commotus Oedipum super filiorum corpora mortuorum lamentantem fecit. — 651 seq. Creon, qui Argivos sepeliri vetat 663[85]) (cf. Phoen. 1630), sordidissimis poetae coloribus depingitur, in hoc quoque secuti Euripidis ultimam scenam. inde mutuatas est Oedipum a Creonte per vim expulsum 669, ab Antigona fortiter adiutum 708; cf. Phoen. 1592, 1639 seq.

Vidimus Statium in Thebaidis summa enarranda fontis locum dedisse Aeschyli Septem nullum, Euripidis Phoenissis commentario instructis principem, ita tamen ut plagiatoris speciem diligenter evitaret.

His peractis cum secundi p. C. saeculi[86]) testibus finem facere constituimus. horum principatum obtinet Apollodorus, de quo post peculiares Roberti et Schwartzii dissertationes haud multa habeo quae addam. at uterque vir doctus in diversam abiit sententiam: Robertus enim De Apoll. bibl. p. 75 totius partis quae res Thebanas complectitur auctorem vindicat Asclepiadem Targilensem, Schwartzius loco supra indicato primas certe Phoenissarum scenas earumque scholia ab Apollodoro excerpta esse eo probabilius reddidit, quod locis ab illo inter se comparatis vix diffidendum sit. tamen scrupulus mihi haesit. nam quod Ap. 91, 6 et 10 Polybi uxorem Periboeam appellat, quae in schol. Eur. 26, 27, 29 semper Merope audit secundum Soph. O. R. 775, 990, mihi quidem argumento esse videtur, Phoenissarum scholia non ipsi Apollodoro inter manus fuisse.[87]) accedunt alia. Oedipus cum

---

[85]) cf. XII 102: *suprema*
Ne quis ope aut flammis ausit iuvisse Pelasgos;
Aut nece facta luet.

huc revoca Eur. Phoen. 1632/3:
ὃς ἂν νεκρὸν τόνδ' ἢ καταστέφων ἁλῷ
ἢ γῇ καλύπτων, θάνατον ἀνταλλάξεται.

[86]) Quo quid de Phoenissis senserint, exemplo est Lucian. *Ζεὺς ἐλεγχ.* 18.

[87]) Moneo Apollodoro cum Hygino communia esse et Periboeam nomen et quod Oedipus, cum inter aequales virtute excelleret, subditicius declaratus sit. Ap. 91, 10; Hyg. fab. 67.

Laium occidit, teste Euripide, quem Antimachus in Lyda sequebatur, Delphos proficiscitur oraculum de parentibus consulturus, neque tamen caede perfecta ultra progressus domum potius redit, Polybo currum Laii dedicat, casu postea Thebas venit. teste Apollodoro Oedipus iam accepto oraculo funesto Delphis revertitur, neque domum Laio occiso sed Thebas abit (91, 13—16), — multo absurdius sane, quia Apollo idem oraculum bis edidisse, et Laio et Oedipo, ita fertur, Oedipoque quae postea accidunt calamitates eo terribiliores appareant, cum oraculi inscium feriant — sed secundum Soph. O. R. 791–798. deinde apud Euripidem pedibus, apud Apollodorum v. 17 curru proficiscitur, quod ne ipsum quidem apte excogitatum est, neque tamen Sophoclis defenditur auctoritate. denique Laii aurigam schol. Eur. 39 Polyphetam vel duce Pherecyde Polypoetam, Ap. v. 19 Polyphontem appellat. his omnibus permoveor, ut ab Apollodoro non ipsum Phoenissarum prologum eiusque commentarium, sed aliam potius narrationem excerptam esse putem. tamen quae Schwartzius congessit ipsius prologi ex Apollodoro frustula, removeri nullo modo possunt. duae igitur rationes prostant: aut verbo tenus exscriptus est et prologus ab incerto illo auctore et auctor idem ab Apollodoro; aut Apollodoro, cum auctorem suum exscriberet, Phoenissae quam ipse legerat animo ita obversabatur, ut sive voluntarius sive invitus nonnullos inde versiculos reciperet. hanc eo veri similiorem duco rationem, quia eandem iam supra in Cadmi Thebas profecti historia convenire vidimus. tamen si nimis infirma tibi videtur, versiculos illos cum reliqua historia ex auctore suo Apollodorum suscepisse mihi concedes.[88]) et haec res quoquo modo se habet, auctor ille ignotus quamvis Sophocleis nonnullis immistis Euripidem sine dubio secutus est eiusque complura non tam immutavit quam additamentis amplificavit et explicavit. velut ad v. 33 explicandum proposuit Oedipum iuvenem praeter ceteros virtute floruisse; deinde certamen Oedipi et Laii plenius neque sine

[88]) Omnino inter Apollodori fontes compendia mythographica fuisse citatis poetarum frustulis exornata, qualia Parthenii et Phlegontis habemus, probant, ni fallor, et hexameter ille cyclicus de quo antea disputatum est, et ei quos p. 47 et 87 infra textum relegavit Hercherus.

propria inventione[89]) descripsit, nomina propria ut grammaticus multo plura addidit quam tragoediae decebat. haec omnia ut abhorrent tam a carminibus qualia condiderunt Antimachus Antagoras Rhodius Rhianus Cretensis quam a Lysimachi paradoxis[90]), qui imprimis quae de Sphinge refert ap. schol. 26 cf. cum Ap. v. 26, ita quadrant in Asclepiadis tragodumena, quae tamen Apollodori fontem hac una de causa appellare minime auderem, nisi amborum de Sphinge narrationes (cf. schol. Phoen. 45), quod iam Robertus observavit, penitus consentirent. his igitur omnibus non modo Roberti coniectura denuo stabilitur atque quantum potest cum paullulum modificata Schwartziana conciliatur, sed novum etiam accipimus documentum, quid Phoenissae tertio saeculo valuerit. cuius tragoediae non prologum modo cave, quae Schwartzius monuit, in suum usum convertit Asclepiades, sed multo plura. nam cum narrationem suam et Apollodorus ipse et Asclepiades variis excursibus partim e Sophoclis Oedipo et Rege et, ut Thesei mentio ostendit, Coloneo (p. 91—92) sumptis, partim e Pherecyde (ut 92, 16) partim ex Homero (94, 28 seq.) partim aliunde amplificarint, 94, 3—9 septem Argivorum duces enumerantur, inter quos Adrastus apparet omnesque sunt Euripidei. de ea quam proxime Apollodorus inseruit varia lectione supra dictum est. in portarum catalogo (95, 8—13) Ὀγκαΐς Aeschyli Septem tibi commendet; cuius tamen fabulae cum nulla alia hic appareant vestigia, Ὀγκαΐς autem propter Phoenicem originem aliis quoque usui fuerit velut Antimacho et Rhiano, aliunde huc irrepsisse debet. praeterea portam invenimus Hypsistam, quam post Euripidis aetatem a poeta aut grammatico aliquo ad lacunam a tragicis relictam[91]) supplendam fuisse additam vidimus, neque obstat quidni Asclepiadem eum dicamus. quae vero restant quinque portae mere Euripi-

[89]) Vel in his respicias vestigia Euripidea. Euripides, ut Oedipi a Laio irritati facinus aliquantulum mitigaret ac paene excusaret, illius pedes ab equis subsequentibus vulneratos narraverat 42. imitator, eadem ductus ratione, Oedipi, quem curru vectum finxerat, equum ab illo percussum fecit.

[90]) Horum tamen ope illum quoque in scholia nostra propagatum esse vix possit negari.

[91]) Quantopere hanc mirati sint atque in supplenda desudaverint, docet schol. 1134.

deae sunt, nec tamen eae, quas cum Aeschylo communes habuit, sed continent duas, quas contra Aeschyli auctoritatem atque partim primus recepit Ogygiam et Crenaeam; quid quod apud utrumque Proetidas sortitur Amphiaraus. Phoenissis igitur id quoque debet Apollodorus, quod singulis Argivorum praetoribus singuli Thebanorum opponuntur, denique, quod rem absolvit, vaticinato Tiresia 96, 7 Menoeceus Creontis filius voluntaria morte (ἑαυτὸν πρὸ τῶν πυλῶν ἔσφαξε, cf. Phoen. 1010, 1091) Thebas ab Argivis liberat. — sequuntur alii auctores, ut praeter res ipsas disertum Apollodori testimonium persuadet, qui 96, 20 variae lectionis loco Phoenissas laudat.

Zenobii narratiunculam vulgarem I 30 in rerum summa ab Euripide pendere vidit Welckerus trag. II 562; immo ut ex Apollodoro interpolata pluribus verbis persequenda non videtur.

At Philostratus iunior quattuor tabellas delineavit ad illustrandam septem heroum expeditionem: I 4, I 27, II 29, II 30. sed quae de Amphiarao Antigona Euadna enarrat, ad Phoenissarum argumentum non pertinent; eo magis quae I 4 de Menoeceo. haec integra pendere a Phoenissis primo adspectu cognoscitur; summa enim rei posita est in Menoecei voluntaria morte, quam auctore Tiresia Thebarum servandarum causa obit. atque iugulare se oportet non iuvenem, quem Statius induxit, sed μειράκιον Euripideum, ἔνθα ἡ χειὰ τοῦ δράκοντος; cuiusnam draconis, Philostratus reticet, omnes ex Phoenissis scire arbitratus, quarum v. 931 isto loco exprimit. et profecto iugulat se puer ἐπὶ τῇ χειᾷ τοῦ δράκοντος (cf. Phoen. 1010)[92]), λαθὼν τὸν πατέρα (cf. Phoen. 991), ἐλεεινὸς μὲν τῆς ἡλικίας, εὐδαίμων δὲ τοῦ θάρσους (cf. Phoen. 1054—59).

Eiusdem fere aetatis singularem auctorem Pausaniam habemus, qui cum alias tum in Boeoticis ad Labdacidarum fata commemoranda delapsus Phoenissas et sibi et aequalibus suis notissimam fuisse ostendit. velut quam I 28, 7 et I 30, 4 impugnat de Oedipi morte fabulam, quamquam e Sophoclis Oed. Col. cognitam habebat, primus in scenam duxit Euripides. sed maioris momenti est portarum catalogus IX 8, 4, qui, nisi hic quoque septimae appellantur Hypsistae, prorsus idem est qui Euripideus, ergo Euripides, non Aesch. Sept. 406 ei Ca-

[92]) Ad Philostrati ὡς ἐλευθέρα ἡ πόλις ἐκ τούτου εἴη, cf. Phoen. 1012 ἐλευθερώσω γαῖαν.

paneum suppeditavit ad Electras portas occumbentem. minoris autem est, quod IX 5, 3 eum mythum sequitur, quo Sparti ab ipsorum creatione nomen acceperunt, id quod praeeunte Stesichoro Euripides narravit, post quem multos aliter egisse docet schol. 670. sed gravia ex sequentibus discimus. cum enim IX 5, 10 oraculum Laio datum Oedipique inscii scelera rettulerit Pausanias, innixus Odysseae versibus nonnullis, quibus certa vis non inest, negat Oedipo ex Iocasta liberos natos esse; ergo idem tunc ab omnibus credebatur. iam ad contradictionem illam solvendam pergit: *ἐξ Εὐρυγανείας δὲ τῆς Ὑπέρφαντος ἐγεγόνεσαν. δηλοῖ δὲ καὶ ὁ τὰ ἔπη ποιήσας ἃ Οἰδιπόδεια ὀνομάζουσι*[93]) *καὶ Ὀνασίας Πλαταιᾶσιν ἔγραψε κατηφῆ τὴν Εὐρυγάνειαν ἐπὶ τῇ μάχῃ τῶν παίδων.* haec omnia si recte se habent, ita intelligi volebat Pausanias, ut Onasias pictor cum Oedipodia consensisset. cohaerebat autem haec pictura procul dubio cum eiusdem ceterum ignoti pictoris altero opere Plataico, quod Paus. IX 4, 2 commemorat Minervae describens templum: *Γραφαὶ δέ εἰσιν ἐν τῷ ναῷ Πολυγνώτου μὲν Ὀδυσσεὺς τοὺς μνηστῆρας ἤδη κατειργασμένος, Ὀνασίου δὲ Ἀδράστου καὶ Ἀργείων ἐπὶ Θήβας ἡ προτέρα στρατεία. αὗται μὲν δή εἰσιν ἐπὶ τοῦ προνάου τῶν τοίχων αἱ γραφαί.* has vel secundo p. C. saeculo viguisse Plut. Aristid. 20 testis est. Pausanias autem, vel is, cui templi descriptionem debet, quod in tabula Onasiae Euryganiam, non Iocastam coagnovit, aut adscripto nomine aut epici carminis certa aliqua scena, quam illic illustratam videbat, eo commotus esse debet; — nolo enim diffidere cum refellere nequeo. iam in memoriam tuam revoca, ab Onasia Euryganiam prorsus eadem ratione exhibitam fuisse atque a primo Euripide (Phoen. 1433, 1459) Iocastam: *κατηφῆ ἐπὶ τῇ μάχῃ τῶν παίδων*[94]). ergo Euripides id quod multo antea de Eurygania nonnullis credebatur, ad Iocastam suam detulit, cum tamen nemo facile sibi persuadeat

[93]) Huius a parte Pherecydes quoque stat (schol. Phoen. 53, Apldr. 92, 16).

[94]) Forsitan quispiam haec verba, imprimis *κατηφῆ*, non proprio sed figurato sensu intellegere malit, ut Iocasta non super filios luctatos profusa, sed propter eos afflicta sit. at haec explicatio, praeterquam quod multo artificiosior esset, ad imaginem interpretandam minime accommodaretur: nam si Onasias tristem anum pinxisset adscripto Euriganiae nomine, quis spectator umquam intellexisset eam de filiis potissimum lugere?

Euripidem, quamvis picturae studiosus fuerit, in tragoedia anno 410 conscripta ad tabulam externam[95]) respexisse, quamquam vasculorum figulos ita egisse *μνηστηροφονία* docet, — ex eodem potius quo ille fonte eum hausisse veri simillimum est, quam Oedipodiam fuisse supra intelleximus.

At vero Aeschylum ab epicis veterum carminibus unum certe deflexisse Pausanias docet. nam inter ea, quae IX 9 ex Thebaide Callino Homerica iudicata enarrat, legimus Thebanos ab Argivis appropinquantibus primum ad Ismenium fugatos intra moenia sese recepisse — atque Eur. 715 seq. eorum exercitum ut ingentem Thebanoque longe superiorem commemorat atque qui Ismenum teneat —; Aeschylus vero Argivos et ab Ismeno removet 361 et vel ante urbis obsessionem saepius victos facit: Eteocles enim 21—23 Thebanis omnia adhuc bene cessisse affirmat.

Ultimo loco ea reservavi, quae de Menoecei morte Paus. IX 25 tradit. quod omnino de ea loquitur, Phoenissas subesse sequitur; tamen actionem Euripideam ita exornavit, ut fontem primarium tragoediam esse minime crediderim, nisi additamenta sua ex amplo commentario sumpsit. primum enim oraculum de Menoeceo immolando iam non Tiresias sed Pythia edit; deinde ad portam Neistam prope fratres occisos sepulcrum eius est, de quo tacet Euripides fratrum caede ad Crenaeam portam remissa; denique in sepulcro eius floret malum, de quo iterum tacet Euripides.

Finem disputatiunculae iam ita faciamus, ut litteris relictis ad artificia nos convertamus. quo saepius enim Phoenissas Euripidis postera aetate imitati sunt scriptores, eo magis dolemus artis monumentorum mirum quantam regnare penuriam. nullum, quod equidem circumspexerim, Graeci aut sculptoris aut pictoris aut figuli opus ut investigarem mihi contigit, quod argumentum illud aliquo modo tractasset. itaque hinc aliquid umquam ad Phoenissarum vim cognoscendam redundaturum esse plane desperaremus, nisi unum exstaret monumentum Romanae illud quidem artis vel potius opificii, sed quod exhibere dudum constat septem regum adversus Thebas expeditio-

[95]) Onasiam, qui Plataeis pingebat, Atheniensem fuisse iam nomen negat; et constat inter omnes Boeotum fuisse.

nem. id igitur hoc potissimum loco interpretandum esse iam propterea credidi quod secundo fere p. C. saeculo ortum est.

Sarcophagi enim Romani, cuius cetera perierunt, pars princeps, latus dico adversum, Romae conservatur in villa Pamfili, cuius parieti reverso affixum est loco tam alto, ut aegre cerni possit, neque mirandum sit, quod, iam per se valde mutilum et recente aetate multifariam interpolatum, haud exacte delineatum sit ab eo qui primus vel adhuc solus edidit: Raoul-Rochette, Monuments inédits, pl. LXVII A, 2; nam Overbeckius (Gallerie heroischer Bildwerke VI 9) novi quidquam neque tabulae neque commentario addidit. deinde descriptum invenis praeter parciora Zoegae verba (bassi rilievi II 88) fusius in Matzii et de Duhnii catalogo monumentorum Romanorum no. 3339. iustissimum vero anaglyphi, quantum genuini superest, imaginem nuper depinxit Eichlerus, quam ut inspicerem summa qua pollet benignitate denuo usus mihi permisit Robertus. Idem vir commissimus effecit, ut, quam huius sarcophagi, antequam lacunas pateretur, imaginem Pozzo condidit, pariter atque cimicem statim describendum, ab Eichlero pictum, institutum Imperiale archaeologicum publici publici iuris facienda mihi liberaliter concederet (cf. tabulae nostrae Fig. I. et II). atque Raoul-Rochette tres scenas recte distinxit, quarum media pugnam repraesentat, ubi Capaneus scalam ascendens, Amphiaraus cum biga a Tellure[96]) receptus, fratres inter se necantes facile cognoscuntur. sed iam hic ultra progrediendum esse puto et quaerendum uter Polynices sit, uter Eteocles. ac videmus alterum iam genu terram prementem, itaque prope victum, atque ex imo ensem protrudentem contra inguina alterius, qui erectum se tenens umero illius iam perfosso caput retro vertit ut victor[97]) (cfr. sepulcrum François M. d. I. VI 31. 32. Noël

[96]) Tellus non iacet profusa, qualem exhibet Rochette ductus fortasse sarcophagorum Phaethonteorum analogia; erecto potius statu, ut Eichlerus docet, usque ad coxas ex terra ascendit, qualem videre potes ex. gr. in sarcophagi operculo villae Albani (Zoega, Bassi rilievi II 55). provocatas opinor has Telluris imagines exemplo zophori Pergameni, cuius simillima Gaea ipsa ad Atticum exemplar ficta est expressum ab Aristophane pictore in Ergini figuli patera.

[97]) Caput nunc deperditum ita fere ab Eteocle versum fuisse, ut restauratum est, cassidis pars ab Eichlero picta confirmat. ad totam personarum conformationem cf. quos supra citavimus sarcophagum et cimicem Etruscos.

des Vergers, l'Etrurie pl. XXI—XXX). iam respice quid in tragoediis de mutua caede nuntietur: Aesch. 787 nihil dicit nisi

ἄνδρες τεθνᾶσιν ἐκ χερῶν αὐτοκτόνων·[98])

Euripides istam brevitatem in fabulae summa foedissimoque facinore miratus novum invenisse sibi suo iure videbatur, quo usus Aeschylum superare atque corrigere conaretur; omnem igitur artem eo impendit, ut hanc pugnam quam elegantissime describeret eoque flebiliorem redderet 1359—1424. atque cadit prior Polynices gladio[99]) percussus fratris (cf. quae ad Statii lib. XI adnotavimus), quem, cum se victorem iam ratus triumphat *τὸν νοῦν πρὸς αὐτὸν οὐκ ἔχων*, occidit *ὁ πρόσθε Πολυνείκης πεσών*, — *ἐξέτεινε δ' εἰς ἧπαρ ξίφος*. vides quid haec Euripidis inventio apud posteros effecerit, si et a sarcophagorum auctore et ab Etruscis[100]) artificibus quam exactissime illustrata est.

Deinde si tria corpora pone Amphiaraum iacentia Argivorum duces esse coniicias, mortui fingantur ab hoc opifice sex, totidem igitur quot ab Euripide: Adrastus enim, sive inter septem sive extra numeratur, semper confugit.

In scena dextera Polynicis corpus ab Antigona et Argia custodibus dormientibus tolli apte monuit Matzius; qui in scaena laevam partem obtinente Rochettio interpretato simpliciter assentitur. opinantur igitur actionem Nemeaeam significari: Hypsipylam Ophelte mortuo ab Lycurgo vehementer increpitam sese prostravisse ut veniam peteret, defendi simul ab Argivorum principibus duobus, qui a laeva ad Lycurgum senem procedant. carent igitur explicatione et iuvenis qui gladio stricto modo a dextra parte accessit (ita Duhnius recte interpretatur), et femina quae eius umerum manu tangit. sed alia quoque sunt, quae Rochettii opinionem, ad quam non dubito quin adductus sit Statii libro V Thebaidis, vehementer labefactent. num senex ille aut vultum aut gestus habet irati? quis deinde ita se

[98]) Quod schol. 962 dicit: *Ἐτεοκλῆς] πρῶτος γὰρ κατέκτανε τὸν Πολυνείκην*, neque per se satis clarum est, neque si *πρῶτος* pro *πρότερος* positum velis, ex ipsa tragoedia profluit, cuius v. 962/3 nihil significant nisi Eteoclem et vicisse et occubuisse; potius ex populari aliqua narratione, quam ab Eur. Phoen. diversam fuisse vix possit demonstrari.

[99]) Ita *ἔγχος* 1413 intellegere nos cogit 1404.

[100]) Quam propterea ex Noelis des Vergers opere modo laudato (Pl. XXV.) repetimus imaginem fig. 3, optimo argumento est, nos de sarcophagi consilio recte indicasse; vide enim insciptionis fragmentum.

prosternat, ut ei, quem supplicet, dorsum suum advertat? ubi denique, ut de filiis Hypsipylae taceam, is est, de quo in tota scaena agitur, sine quo ne intelligi quidem possit, Archemorus? quem tanto aegrius desideramus, quod in omnibus quae mihi quidem innotuerunt monumentis tam Italicis quam Graecis revertitur [101]), sive Euripidis Hypsipylam sive alium fontem intellegere vis. denique aut egregie fallor aut duo iuvenes, inter quos anus iacet, quorum uterque clipeum laeva tenet, ad pugnam contra se proruunt, ut deperditam quoque alterius dextram hasta armatam fuisse veri simile sit. habemus igitur hunc rerum statum: duo adulescentes, quorum alterum sodalis comitatur, inter se obstant pugnaturi; inter eos anus pectore nudato [102]) supplex sese ita prostravit, ut altero genu terram premeret, bracchiaque, quae nunc abrupta olim ex anaglyphi spatio prominere prima huius artis norma vetabantur, in utramque partem lateralem extenderet; adstant secundo ordine et senex meditans et virgo quae iuvenem comite carentem gladio armatum delenire conatur. neque igitur video quo id melius pertinere possit, quam ad Iocastam filios decertaturos supplicantem, quae scaena ad huius anaglyphi seriem quam optime accommodatur. primum autem, qui eam inveniret, Euripidem fuisse supra iudicavimus; ergo haec quoque imago a Phoenissarum episodio pendet, cuius ope tanto melius ceteris personis sua nomina reddi possunt. Eteoclem ut regem in tragoedia sequi debebat *δορυφόρος*, qui sarcophagi laevam partem terminat; cum Polynice, qui ut hostis urbem solus intravit (262) at gladio armatus (267, 363), per totam fabulam Antigona facit. restat praeter Iocastam senex, quem propter habitum et Zoëgae verba „gli occhi chiusi“ Oedipum appellabam, antequam ex Eichleri tabula et exilem vestem et ocellos ei esse

---

[101]) cf. ex. gr. Gerhard, „Archemoros und die Hesperiden“ Taf. I, quod vasculum cum iuxta Hypsipylam et Eurydicam exhibeat Amphiaraum, reducendum est ad Euripidis Hypsipylam, ubi deus ex machina processerit Dionysus; cf. columnam Cyzicenam; Winckelmann, mon. ined. 83. is quod ibid. 103 edidit, ad Euripidis Oedipum (fr. 545) referre malim, siquidem Oedipum a filiis expulsum invenire non potui.

[102]) Vestita est Eichlero teste anus, non minus quam senex, et chitone et himatio, et ita quidem ut, quidquid suadet Rochette, mulieris utrumque crus obtegatur, senis autem pectus dexterum denudetur, qua de causa rex vix putandus sit.

discerem. unde dubitari iam non potest, quin paedagogum videamus, quem Euripides Phoenissarum prologo induxit, sarcophagorum sculptores Romani omnino frequentissimum fecerunt. et perquam feliciter evenit, quod istam scenam non in hoc unico anaglypho contineri vel nobis cognoscere licet. duo enim huc revocanda sunt monumenta, quorum neutrum adhuc ex villarum Romanarum tenebris evasit: primum in villa Pacca extat anaglyphon, (fig. II), anum exhibens prorsus eadem ratione qua Iocasta nostra vestitam et iacentem inter duos adulescentes pugnam tantum non incohantes. id quod accuratius examinare mihi licuit, iterum egregiae debeo et Roberti munificentiae et Eichleri arti. denique teste Duhnio l. l. no. 3340 alterum ectypum asservatur in villa Wolkonsky: nam quam vir ille doctissimus Eriphylam [103]) vocat, Iocastam potius appellandam nostramque scenam fictam esse cognitum habebit, quicumque illius descriptionem cum villarum Pamfili et Pacca anaglyphis comparaverit. — horum omnium auctores ex uno fonte sua hausisse apparet, atque ex pictura quidem, cuius imaginem fidissimam refert sarcophagus Pamfili; picturam dixi, non anaglyphum, quia et vultuum expressiones, quas vivacissimas hic fieri expediebat, et personarum ordines complures picturae melius conveniunt. pictor igitur ille graecus, quem quarto aut tertio saeculo floruisse consentaneum est, Phoenissarum vestigia ita pressit, ut nihil mutaret, nisi quod Antigonam cum paedagogo ex scaena praecedente huc revocaret atque Iocastam nudo pectore humi prostratam faceret; praeclarissime igitur finxit, cum quae tragoediam maxime dedecerent, tabulam iam vivacitatis augendae causa unice decerent — et quam vivaces omnium horum sunt motus! — sua sponte induxit. hoc unum exemplum singulariter nos docuit, quid Euripidis Phoenissae tam Ptolemaeorum quam Antoninorum temporibus, neque ad fabularem modo historiam, valuerint.

[103]) Hoc nomen aut Duhnio invito aut typothetae excidisse pro Hypsipyla persuasum habeo; quis enim Eriphylam umquam fecerit aut supplicem aut anum?

Typis G. Bernstein, Berolini.

TYPIS G. BERNSTEIN, BEROLINI